


DODONÆI
1581









4197.

(2)

APOLLO-NII MENABENI MEDICI ET PHILOSOPHI INSVBRIS, TRACTATVS DE MAGNO Animali, quod Alcen nonnulli vocant, Germani verò Elend, & de ipsius partium in re medica facultatibus:

ITEM

HISTORIA CERVI RANGIFERI, & Gulonis Filfros vocati.

AD RVDOLPHVM II. INVICTISS. ROM. IMPERATOREM AVGVSTVM.


Acceſſit Remb. Dodonæi Medici Cæſarei de Alce Epiſtola.

COLONIÆ

Apud Maternum Cholinum.

M. D. LXXXI.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt.



SACRATISSIMO ATQVE INVICTISSIMO ROM. IMPERATORI RVDOLPHO II. CAESARI AVGVSTO

Apollonius Menabenus Medicus. S. D.

PRÆTER *egregiam virtutis indolem, & præclarum illud ingenij acumen, quod in plerisque nobili genere natis elucere videmus, Maxime Imperator, summis populorum principibus prudens, ac sagacissima rerum omnium parens, natura singulare ac diuinum aliquid elargiri solet, quo non modò ceteros longo interuallo superant homines: sed habere etiam aliquid commune cum Dijs immortalibus videntur. Quo munere multa egregia ab ipsis eduntur facinora: quæ, cùm humanas superent vires, & mortalium vincant expectationem, non sine causa apud alios de se admirationem pariunt, & miraculi suspicionē præbent. Hoc prudenter cùm animaduertisset veneranda antiquitas, sanctos appellauit reges: & quoscunque ex rebus gestis diuini aliquid habere cognouit, à Dijs ipsis genitos esse, memoriæ prodi-*

dit. Hinc ille Plato salubrioris Philosophiæ parens: hinc ille Æsculapius medicæ facultatis author, ad humani generis salutem ab Apolline (vt creditum est) procreati, à priscis illis hominibus diuinitatis encomio: quòd alter corporibus, alter mederetur animis: decorati fuerunt. Sed ne à regibus, & claris bellorum Imperatoribus nostra longiùs recedat oratio: quis dixerit Pyrrhũ Epirotarum Regem, cui (omitto res in bello præclarè, magnificeq́; gestas) pollex dextri pedis fuit tam mirabili virtute præditus, vt eius solo tactu lienosis mederetur, diuinitate caruisse? præsertim cùm idem digitus, reliquáque membra post obitum nulla ignis potentia cremari potuerint? Quod cùm præter naturæ præscriptum videretur, corpus integrum religionis ergò in templo repositum, magnificentissimoq́; sepulchro conditum fuisse constat. Quis item non miretur strumas, quas Græci Chæradas appellant, admotis quandoque methodicè, Hippocraticeq́; auxilijs, nunquam tamen discuti potuisse: ab vnis Galliarum Regibus nullo fermè negotio curari potuisse? Paruo quoque negocio Reges Britaniæ, antequam à fide Catholica deficerent, à grauissimo epilepsiæ morbo correptos homines curare dicebantur. Quisnam præterea est tam hebeti ingenio, qui in C. Mario, tutissimo Romani Imperij propugnaculo, nihil supra vires humanas fuisse arbitretur? quandoquidem ferocissimus miles, natione Cymber

ber, publico Minturnensium consilio missus ad trucidandum eum senem, inermem, squalore obsitum, obscuro in cubiculo clausum, visa in tenebris flamma ex illius oculis prodeunte, tanto viri splendore attonitus, rem aggredi non sustinuit: sed inde festinanter egressus, abiecto gladio, exclamauit? Ego C. Marium occidere nequeo. Sed vt recentiori quoque vtamur exemplo: vnde tanta Ferdinandi Regis Arragonum maiestas? vnde tam venerabilis illius aspectus, vt, quod neque precibus, neque minis extorquere potuerat, id sola quasi diuini numinis sui vicerit præsentia? Pulsus hic, (inquam) fuerat à Carolo VIII. Gallorum Rege, atque Neapolitano Regno deiectus, Ischiam cum paucis militibus perfugerat. Diu cum illius arcis præfecto, reliquoq; præsidio sollicitus nunc rogando, nunc terrendo egerat, vt ipse cum suis militibus in arcem admitteretur. sed vbi solus illuc pedem inferre potuit, educto gladio, tanto animi ardore, tanta constantia, tam horribili aspectu irruit in arcis præfectum, vt eius milites perterriti solo aspectu illius imperantis, ac veluti scintillas, flammasq; ex oculis spirantis, portam illico Regijs militibus exitum rei foris expectantibus aperuerint. Cui igitur consentaneum non videtur, eos ipsos, quibus diuino consilio summa rerum humanarum communicata est potestas, diuinitatis esse participes? cùm hoc ipsum in plurimis post hominum memoriam sum-

mo studio à viris sapientissimis obseruatum fuerit? Sed quid aliena exempla recenseo? cùm tu maxime Cæsar Rudolphe instar sis omnium regum, atque Imperatorum, quicunque aliquo singulari diuinitatis numine ceteros mortales excelluerunt? Tam enim clarum, tam amplum diuinitatis lumen iam effudisti, vt huius splendore omnia omnium exempla obscurare videaris. In ipsis enim Imperij tui foribus, atque in ipso ætatis tuæ flore, annum agens vigesimum secundum, summo studio, incredili animi ardore, singulari pietate, oculos, mentem, omnes denique cogitationes tuas eò conuertisti, vt Christianam Religionem diuersis seditionibus laborantem, grauissimisq; incommodis affectam, erigas, foueas, ad pristinam dignitatem, morumq; sanctitatem pro ea, quæ amplissima est, Imperij tui authoritate reuoces. Quo quid sanctius, quid diuinius à Cæsare præstari, aut expectari potest? Omnium enim virtutum fundamentum est ipsa pietas, & Religionis cura. Hoc pietatis officio, hac sanctissima Imperij moderatione quot homines à rectissima salutis via aberrantes ad mentis sanitatem iam reduxisti? Quot hominum mentes erroribus deprauatas tuo grauissimo exemplo ad veritatis splendorem iam excitasti? Atque hæc Christianæ Reipub. vulnera, quæ immoderata cupiditatum licentia inflicta fuerant, tanta consilij tui prudentia, tanta animi tui constantia sanasti,

nasti, vt multò plures sint, qui tuis saluberrimis institutis curari gestiant, quàm qui ex animo suo erroris morbum depellere negligant. Hæc studia, hæc pietatis officia licet propria sint Cæsaris, atque illius Cæsaris, qui cum summa omnium populorum approbatione ad moderandas Romani Imperij habenas natus esse videatur: plura tamē, ac multò maiora incredibili celeritate, ac singulari sapientia præstitisti, quàm ab ista tua ætate erant expectanda. Laudabile est. n. Imperij fineis armis dilatare: sed nihil laudabilius fieri potest, quàm sacrosanctæ sedis Apostolicæ imminutam authoritatem prudenti moderatione in pristinum statum restituere; atque etiam, quoad eius fieri potest, amplificare. Illud spectat ad corroborandas ditionis humanæ vireis: hoc autem pertinet tum ad propagandam veram Christi seruatoris Religionem, tum ad parandam animis in cœlesti domicilio felicitatem. Conferantur nunc aliorum Regum, atque Imperatorum, si qua in illis apparuerunt, diuinitatis indicia cum his sanctissimis tui Imperij primordijs: hæc illis tantò magis anteponenda esse intelligemus: quantò publica priuatis, diuina humanis præstantiora esse iudicamus. Quæ enim illi diuinitus acceperant, vel ad paucorum hominum commoda, vel ad retinendam propriam incolumitatem adhibuerunt. Tua verò diuina virtus tum ad amplificandam Dei Opt. Max. gloriam,

tum ad reparandam multarum gentium, ac populorum salutem, tua, inquam, diuina virtus non solùm multis laboribus, ac periculis iam se constanter exposuit, verùm etiam omnium bonorum animos in spem certissimam erexit, fore, vt aliquando vniuersa Resp. Christiana tui Imperij robore à Barbarorum immanitate protegatur: vt tuis auspicijs ab impietatis erroribus liberetur: vt, te denique sapienter ad illius gubernacula sedente, in tutissimum tranquillitatis portum perueniat. Itaque cogitanti mihi, atque animo contemplanti Cæsaream istam animi tui præstantiam, & præclarum iam spectatæ virtutis specimẽ: quibus de te apud omnes expectationem concitasti, & cunctos mortaleis in tui admirationem traxisti, verecunda quædam diu obstitit dubitatio; quò minus hunc meum libellum, qui inscribitur Tractatus de magno animali, tibi Maxime Imperator prius dedicauerim. Ex hac siquidem parte tuæ præstantissimæ mentis, amplissimæq; dignitatis splendor me ab huius tam exigui muneris oblatione deterrebat: illinc verò prudentissimum aliorum scriptorum mihi probabatur consilium, qui priusquam suas in lucem emittant lucubrationes, alicuius clarissimi viri authoritate eas muniendas esse existimant: vt, quod ipsi summo studio ad commune aliorum commodum elaborarunt, non solùm ab inuidiæ morsibus protegatur: verùm etiam apud bonarum artium studiosos

diosos fidem.gratiam,& authoritatem sibi concilier. Siquidem sacra ipsa templa, licet Pario extructa essent marmore, licet Hymettijs fulta essent columnis, licet auro, argento, signis, tabulis essent ornatissima: nisi tamen alicui diuino numini essent dicata, haud vnquam tanta populorum frequentia, haud tanto cultu, tantaq; celebrarentur religione. Hæc honestissima ratio nunquam me tamen impulisset, vt has tenueis meæ industriæ primitias tuo sacro nummi offerre nunc auderẽ: nisi ex iactis præclarissimè tui Imperij fundamentis, mihi, ceterisque omnibus exploratissimum foret, te non multò magis teneri studio imitandi tuos maiores, qui rerum diuinitus gestarum vestigia, vel ad sempiternam sui nominis memoriam, vel ad imitationem tibi, ceterisque posteris in toto ferè terrarum orbe fixa reliquerunt: quam aliorum sapientissimorum Regum, atque Imperatorum exemplis delectari. Cùm nulla igitur ætatis tuæ pars remota fuerit ab earum artium exercitatione, quibus ciuitates, quibus prouinciæ sapientissimè reguntur, mihi dubium non est, quin illud humanissimum Artaxerxis Regis Persarum factum aliquando legeris, lectumq; tibi imitandum proposueris: cùm ei obequitanti pauper quidam, & operarius homo nihil aliud habens, ambabus aquam manibus, è proximo flumine haustam obtulit, quam Rex non minus humanus, quàm potens iucundè suscepit, arrisitq; non rei,

quæ donabatur, vtilitate, sed prompta illius, qui largiebatur, voluntate gratiam metitus. Non enim minus regium, & humanum existimauit vir sapientissimus parua libenter, prompteq; accipere, quàm magna tribuere. Fretus itaque tum tua ipsius incredibili erga omnes humanitate, tum illius magnanimi Regis imitatione, me continere non potui, quin hoc exiguum meæ perpetuæ erga Austriacam familiam obseruantiæ pignus tuæ sacræ obtulerim maiestati. Quod si animo lubenti (vt spero) susceptum fuisse cognouero, maximam inde spem concipiam, tam agresti animo fore neminem, qui in fronte operis inspecto Inuictissimi Imperatoris nomine, libenter non legat, ac de meis laboribus, meoq; erga alios officio optimè non sentiat. Si enim paruum est, quod nos hic præstitimus: sub tui grauissimi nominis amplitudine videbitur maximum. Si antea fuit obscurum authoris nomen, tuæ clarissimæ maiestatis splendore quàm plurimis innotescet. sin humilis est huius operis materia, hoc incommodum cùm mira quadam rerum nouarum suauitate, tum præstantissima tui patrocinij virtute compensabitur. Te igitur maxime Imperator Rudolphe Cæsar supplex oro, atq; obtestor, vt, pro innata animi tui facilitate, pro optima, ac propensa in bonarum artium studiosos voluntate, hunc meum libellum in tua Austria elucubratum, iam tuis auspicijs in lucem editum, iam tui sacri nominis

inscri-

inscriptione decoratum, tanquam patronus optimus, & maximus in tuam tutelam recipias. Hoc Cæsareæ amplitudini non derogat: dignitati non repugnat: humanitati accommodatissimum est: mihimet ipsi summo ornamento, ac felicitati futurum: peritis quoque scriptoribus non solùm de suis laboribus, ac vigilijs optimè sperandi erit occasio: verùm etiam ad grauiora studia vehemens animorum incitatio. Neque enim tot præclara literarum monumenta, quibus vel rerum gestarum memoria, vel optimarum disciplinarum præcepta continentur, ad nostram nunc extarent felicitatem, nisi olim summi orbis terrarum rectores sua humanitate fouissent eruditorum hominum ingenia, eademq; incredibili fauore prosecuti fuissent. Huius meæ lucubraciunculæ, si tu Rudolphe Cæsar Auguste tuo patrocinio hanc dignam iudicaueris, præmium satis amplum me consecutum fuisse non solùm arbitrabor: sed pro perpetua etiam tui Imperij felicitate Deum Opt. Max. assiduis precibus rogabo.

Vale.

BARPTO-

BARPTOLOMAEI MENABENI CARMEN AD Apollonium fratrem Medicum.

IMpulit heroas virtus tolerare laborum
Ærumnas, fama vt possent contingere cœlũ.
At natura parens medicas specularier artes
Optime te frater docuit, penetrare per oras
Informeis visu, glaciale videre sub Arcto
Horrendũ pelagus, tũ immania monstra Getarũ:
Atque feræ ingentis vires spectare salubreis:
Humano generi medicamenta vt inde referres.
Queis torpore iacens animus, prostrataq; mẽbra
Æthereas veluti à letho reuocantur ad auras.

APPOL-

APOLLONII MENABENI PHYSICI TRACTATVS DE MAGNO ANIMALI, GERmanis *Elend dicto, & de ipsius partium in re medica facultatibus,*

Præfatio.



IN vilibus etiam rebus vbique locorum naturæ numen ineſſe, pulchrumque ingenium vigere his verbis apertè declarat Ariſtoteles: Nulla res eſt naturæ, cui non mirandum aliquid inditum habeatur; & in ijs, etiam, quæ in hoc genere minùs grata noſtro occurrunt ſenſui, natura parens, & auctor omnium miras excitas voluptates hominibus, qui intelligunt cauſas, atque ingenuè philoſophantur. Hoc idem probat Heracliti teſtimonio, quem in caſa quadam furnaria caloris gratia ſedentem, cùm fortè quidam alloqui vellent: ac ideo tamen ad ipſum accedere temperarent, eos iuſsit ipſe fidenter ingredi: quoniam, inquit, ne huic quidem loco Dij deſunt immortales. Iure igitur optimo naturam iuſtiſsimam ſæpe numero vocauit Hippocrates: & Auerroës eandem diuinam nuncupauit: atque ipſius diuinitatem in imperfectis, ac vilibus magis, quàm in perfectis eluceſcere teſtatur his

his verbis: Scientia naturalis plus ferè apparet in materia viliori, quàm in aliqua alia nobiliori. Difficilius enim introducitur generatio in materiam imperfectum. Neque hoc in artificialibus obſcurum eſt; cùm nobilitas artificis, eiuſque ingenij perſpicacitas euidentior fiat in materia impaſsibiliori, quàm in ea, quæ faciliùs, ac ampliùs recipit. Hac mirabili naturæ ſolertia mihi ſatis perſpecta, atque explorata, cùm eſſem Medicus Ioannis III. Regis Suecorum, Gothorum, Vandalorum, omnem mihi mouendum, vt aiunt, lapidem eſſe exiſtimaui, vt ſiqua in ſqualidis, ac horridis Sueciæ regionibus eſſent ſcitu, ac memoratu digna, meo ipſius non ſolùm expiſcarer labore, verùm etiam ad aliorum cōmoda ſcriptis meis in lucem proferrem. Quod enim bonum eſt, vndique petendum, vbique probandum, ac ceteris hominibus, quoad fieri poteſt, communicandum eſt. Neque mihi videtur quicquam laude dignū præſtare is, qui ex amœniſsimo prato, vel ex domeſticis hortis ſeligendo ſerta componit: ſed ille, qui ex arduis locis, vepribus, ac ſpinis excerpit, aptè, concineque conſtruit, aliquid egregium ſuſcepiſſe iudicatur. Neque multum laudis meo quidem iudicio ijs tribuendum eſt, qui ea tantùm, quæ in vberri-

mis

rimis, vel amœnissimis regionibus sine periculo passim reperiuntur, nullo ipsi fermè labore requirunt, eaque solùm summis celebrant laudibus. Sed hoc in illis æquiori animo ferendum esset, nisi ijdem illi facilioris industriæ studiosi, quæ in alijs locis recondita sunt, ea aut omnino in rerum natura esse negarent, aut ab alijs in lucem producta ludibrio, ac contemptui potius haberent. Cùm igitur Suetica regio præter admirabilem illum aquæ currentis fluxum, ac refluxum, cuius causam in alio libello dilucidè exposui, iuxta illius cœli constitutionem, bruta quædam animalia: vt Alcem, Rangiferum & Gulonem, quę nõ omnibus æque nota sunt: eaque tamen exquisitis quibusdam bonis donata eodem modo producat, ac contineat, quo etiam crassum, ac rude metallum quoddam, adamantem, ac saphyrum aliquando solet producere, ea, qua potui, diligentia eorum animalium conditiones, egregiasque eorum dotes à natura largitas exploraui, exploratasque memoriæ fideliter mandaui, hoc quidem consilio, vt cùm primùm mihi à rege illinc abeundi fieret potestas, hanc ipsam contexerem historiam. Quam si probatis viris placuisse cognouero, magnum inde capiam solatium, quo mœrorem, quem

ex

ex ærumnoſa mea illuc profectione contraxi, prius mitigabo, deinde multarum rerum iacturam, quam in eo ipſo itinere non ſine capitis diſcrimine feci, partim mihi reſarciri putabo. Quæ igitur cum magno vitæ meæ periculo, atque rerum detrimento inde exportaui, fideliterque literis mandaui, læto vt animo legant ſtudioſi, æqui bonique conſulant, vehementer etiam atque etiam rogo.



QVOT, ET QVIBVS nominibus vocetur Magnum animal.

CAPVT I.

INTER eos, qui huius animalis vngulæ epilepſiam fugãdi poteſtatem tribuunt, vix duos reperies, qui in nominibus inter ſe concordent. Nam alij Alcem hoc animal apellant, alij aliter. eruditiſſimus Cardanus ſolam Alcem à C. Iulio Cæſare deſcriptam agnoſcit. hoc, de quo agitur, animal magnum nuncupat: Alcem nullo modo vocandum cenſet, & re vera quidem. Nam in multis differt à Cæſaris Alce, vt paulò poſt videbitur. Iulius Cæſar Scaliger vir acerrimi ingenij in ſuo libro, quẽ de ſubtilitate ad Cardanum inſcribit, licet duas dicat eſſe Alces: hoc tamen animal Alcem non appellat: ſed cum quibuſ-

dam alijs Bisontem nuncupat: & sub hoc nomine à Plinio describi putat. Rectè quidem vt Cardani, & mea fert opinio: idem tamen Plinius, quam Cęsar vocat, ac describit Alcem, Machlin appellat, & Alci haud dissimilem esse dicit. Alcem verò iumento similē asserit, ni proceritas aurium, & ceruicis distinguat. Quare Bisontem, & Alcem Plinio idem esse videtur. Sueci homines, qui Latinè loquuntur, sæpenumero Bisontem vocant. Alij Bisontem aliud esse animal scribunt, & aliud ab hoc animali, & Cæsaris Alce diuersum figura exprimunt. Non desunt, qui hoc animal Syluestrem asinum, quem onagrum vocamus, esse credant: sed malè, vt Cardanus ait. Inter istos fortasse sunt celeberrimi Medici, vt Galenus in lib. 11. de Simplicium medicamentorum facultatibus; Aëtius, Alexander Trallianus in lib. 1. Auicenna in lib. 2. Tract. 2. & Serapio de Simplicibus. Nam hi combustos asinorum vngues comitiali morbo mederi scribunt. per asinos. n. onagros fortasse intellexerunt: & sub onagri nomi-

nomine Magnum hoc animal, & ipsius vnguis efficaciam cognouerunt. quòd si syluestris asini vngulæ contra epilesiam hanc vim assignarunt; dubitare possumus, an ipsis egregium animal, quod hic scribimus, ignotum fuerit: quando de ipso ne meminerint quidem: sed tamen verisimile est talibus viris notum fuisse animal. Olaus Magnus rerum Sueticarum celebris Historicus, onagrum & Alcem idem esse censet. Non immerito quoque aliquis suspicari posset, hoc ipsum animal Tarandum nuncupari ab authore, qui librum Aristoteli attributum de rebus auditu admirabilibus edidit. Ipsum.n.his verbis exprimere videtur: Inter eos Scythas, qui Geloni appellãtur, quandã ferã esse ferunt, quæ quãuis perrarò inueniatur, Tarandus nominatur: & magnitudine cum boue, frontis verò forma cũ ceruis æquiparatur. Qui hoc animal Alcem dicunt, neq; ipsi omnino concordes sunt. Nã quidã in Animalium Historia egregiè versati, postquã huius animalis multa collegerunt nomina, Alcẽ dicunt esse:

cùm tamē alterā Cęſaris Alcem agnoſcant. Horum ſententiā ſequi videntur Prutheni Medici non vulgares, quibus notiſſimum eſt hoc animal; quando pro huius vngula Alcis vngulam ſcribunt in ſuis ſchedulis. His tamen ſicuti non omnino derogo; ita non multum tribuo. Antonius Mizaldus inter recentiores ſcriptores non mediocriter eruditus, cùm abſolutè vngulam Alcis ſcribat, incertam nobis relinquit ſuam ſententiam. At Leuinus Lemnius artis Apollineæ ſatis inſignis artifex, in libro de occultis naturæ miraculis, quia hoc noſtrum animal non nouit, de ſola Cæſaris Alce meminit, & ipſius vngulam præſentanea vi pollere dicit aduerſus comitialem morbum: cùm nihilominus in quibuſdam rebus minimè ficulneis diſſideat à Cęſare. cuius verba ex lib. 6. de bello Gallico huc transferam; cùm vt conferantur cum verbis Leuini, tum vt quilibet facta collatione inter noſtrum hoc animal, & Cæſaris Alcem, liquidò cognoſcat, quantum ea, quæ à quibuſdam confunduntur, inter ſe diſcrepent.

pent. Cæſar igitur habet hæc verba: Sunt item, quæ appellantur Alces: Harum eſt conſimilis capris figura, & varietas pellium, ſed magnitudine paulò antecellunt, mutilæq; cornibus ſunt, & crura ſine nodis, articuliſque habent; neque quietis cauſa procumbunt, neque, ſiquo afflictæ caſu conciderunt, erigere ſe, aut ſubleuare poſſunt. his ſunt arbores pro cubilibus. ad eas ſe applicant, atque ita paulùm modo reclinatæ quietē capiunt. quarum ex veſtigijs cùm eſt animaduerſum à venatoribus, quò ſe recipere cōſueuerint, omnes eo loco aut à radicibus ſubruunt, aut abſcindunt arbores tantùm, vt ſumma ſpecies earum ſtantium relinquatur. huc cùm ſe conſuetudine reclinauerint, infirmas arbores pondere affligunt, atque vnà ipſæ concidunt. Hactenus Cæſar. At Leuinus ita Cæſaris verba in ſuum librū transfert. Alcis vires excutiamus: quod caprarum eſſe generis, ſed maiore corporis mole Caius Cæſar in Commentarijs teſtatur. His ita ob oculos poſitis non ignorandum quoque eſt, à Sue-

cis, & omnibus, qui Germanico loquuntur idiomate, hoc magnum animal Hellenium vocari à particula ipſis peculiari Hellend, quæ miſeriam ſignificat, & appoſitè quidem, vt infra dicetur. Sed quia hoc animalis genus non tantùm in Suecia, ſed etiam in multis Scythię, & potiſſimùm Sarmatiæ partibus reperitur; ſciendum eſt, ipſum iuxta cuiuſlibet regionis idioma multas ſortitum eſſe nomenclaturas; quas ſingillatim annumerare ſuperuacaneum eſſe duximus; ne de nominibus nimis ſoliciti videamur, quæ ad rem ipſam parùm conferunt. ea tamen, quę apud Latinos celebrata ſunt nomina, ſilentio præterire non potuimus. In quibus licet claſſici illi authores inter ſe diſcrepent; tamen cùm in alijs rebus, quæ maioris ſunt ponderis, concordes ſint; non eſt, quod aliquis inter illos Palemonem agat. eſſet n. nil aliud, quàm de lana caprina iudicare, vt prouerbio dici ſolet. Sed de nominibus hæc hactenus.

De

De natura Magni animalis & miseria.

CAPVT II.

HOC animal, qui Germanico idiomate loquuntur, Hellend appellare consueuerunt. quæ dictio, si Latinè vertetur, miseriam significat. & huic quidem scitè admodum inditum est hoc nomen. Miserrimum.n. est animal multis de causis. primò quia sæpenumero comitiali morbo corripitur; quo non liberatur, nisi apposita prius fuerit auri altera posterior vngula. Hoc tamē apertè repugnat Plinio, qui lib. 10. Naturalis Historiæ inquit: Nullum animal præter hominem, & coturnicem affici comitiali morbo. Sed hac in re plus tribuendum existimo multis testibus, & experientiæ, quàm vni Plinio alioquin solertissimo: apud quem multa leguntur, quę à doctis viris, & experiētia non cōprobantur. Miseriæ etiam huius animalis causas referunt: quia timidū est valde, & homines procul ol faciens fugit, & quolibet vel paruo vulnere moritur:

quinimo ſi tantùm ſuum ſanguinem videt, illicò exanime concidit. Cùm inſuper iam prope captum tenetur, non cornu ferit, non reluctatur, ſed fugam tantùm molitur: tamen canes vnguibus repellit, & conculcat. à quibuſdam probatis viris mihi ſumma neceſſitudine coniunctis, & in huius animalis venatione verſatis accepi: perrarò vnum huiuſmodi animal ſolum conſpici, ſed plura ſimul: modò quinque, modò ſeptem, modò plura ſimul degere, & progredi. & quando in ſyluis terra niuibus obtegitur, mihi ſe obſeruaſſe retulerunt, ipſa tum maximè in vnum ſe conferre, ac ſimul progredi hoc ordine: vnum præcedit properando, vt occaſio poſtulat, alia ſingula ſequuntur eundem tenorem, & modum ſeruando, & primi veſtigia calcando ita, vt ſiquis rei inſcius ipſa prætergreſſa inſequatur, vnius tantùm veſtigia cernere ſe exiſtimet. Quod alterum ita ad vnguem alterius veſtigijs inſiſtendo alterum ſequatur, cuidam ipſorum prudentiæ naturali adſcribunt venatores. aiunt. n. ipſa per primi

veſtigia

veſtigia incedere, ne numerus ex veſti-gijs dignoſcatur. His animalibus hu-iuſmodi ineſſe prudentiam, veriſimi-le eſt; cùm ſint ex ceruorum genere; cui inter quadrupedes maximam pru-dentiam tribuit Ariſtoteles lib. 9. de Hiſtoria animalium, & Plinius lib 8. inquit, Fugiunt latratu canum audito ſecunda ſemper aura, vt veſtigia cum ipſis abeant. Quòd ſint ex ceruorum genere: cùm hæc prudentia, tum alia non pauca his communia cum cer-uis, quæ Ariſtoteles ijſdem in libris vni ceruorum generi tribuit, ſatis ſuperq́; demonſtrant. inquit. n. Ceruo ex cor-nigeris vni cornua tota ſolida, ceteris caua quadantenus. & paulò poſt: Soli etiam ceruo cornua omnibus annis decidua, initio à bimatu, cęteris perpe tua. quòd horum animalium cornua tota ſolida ſint, ſicuti ceruorum cor-nua, apud me dubium non eſt. quod etiam decidua, non ambigo: cùm ip-ſorum plurima viderim. quod verò omnibus annis, ex multorum aſſerti-one probare poſſum. Sed ex Olai Ma-gni Hiſtoria huc ad verbum aliqua

transferamus, lib. n. 11. de hoc animali ita ſcriptum eſt. Vehementiſſimus eſt eius curſus in trahendis vehiculis in niuoſa glacie apud quoſdam. Nam horum celeritas longè ſuperat omnium equorum velocitatem. ſed apud alios quoſdam ob Regium edictum in vſu non habentur; ne ſcilicet eorum currendi celeritate proditores vtantur in ſecretis Regni inimicis quàm ociſſimè reuelandis. Famis, ac ſitis, laboriſque patientiſſima eſt hæc beſtia, vt diem, noctemque immenſa ſpacia. CC. milliariorum Italicorum currendo valeat conficere priuata cibo. & lib. 18. inquit. Alces pulli venatorum induſtria capti ita ſucceſſiuè manſueſcunt, vt naturali vrgente ſiti epotent maxima ceruiſiæ vaſa à diſcumbentibus eiſdem propinata. & paulò poſt: Alces inſtar ceruorũ gregatim in vaſta ſolitudine vagantur, inſidijſque extenſorum telorum induſtria venatorum ſæpiſſime capiuntur, vel maximè canum inſultu retruduntur in antra rupium, vt inde raro viuæ euadant. imo quieſcentes humi, vel erecti ſtantes

tes onagri maximi à minima quandoque mustella guttur insiliente mordentur, vt sanguine decurrente illico deficiant mortui. idem quoque ait. Lupi in onagros irruentes, & vngulis, & cornibus vel interimuntur, vel effugantur: tanta.n. vis est in ictu vngulæ, vt illico tactum lupum interimat, aut fodiat: qnod sæpius in canibus robustissimis venatores experiuntur; imo elabente cane opposita arbor illiditur, quasi fungus adesset. Hæc ego cùm à nemine audiuerim, qualiacunque sint, soli Olao accepta refero, alia alijs & nomine, & eruditione præcellentibus viris. Ceterum autumno, hyeme, & vere ista animalia paruis bombardis hoc tempore interfici solent à venatoribus, rusticis potissimùm, & ad Regem omnia deferri. Hoc fit in Suecia. Carnibus istorum vbique vescuntur illius regionis incolæ, & recentibus, & sale conditis. Quando ego carnes huiusmodi recentes comedi; crassi, & melancholici succi esse iudicaui. quid de salsis censendum est?

Deſcriptio partium extrinſecarum Magni Animalis.

CAPVT III.

MAgni animalis nominibus, natura, & miſeria cognitis, conſentaneum eſſe videtur, vt & figuram à ſummo capite ad extremas vſq; vngulas verbis exprimamus. Habet igitur hoc animal craſſitiem, altitudinẽ, longitudinem, & proceritatem mediocris, & pinguis equi, vt ego vidi. Humeri depreſſiores, & humiliores ſunt partibus poſterioribus. capite aliquantulum pronum incedit. à ſummo capite vſque ad humeros, & maximè in ceruice eſt huic magna pilorum prolixitas, & ſylua ita, vt collum, & barbam hirci repreſentet. vnde iubatos Biſontes non immeritò vocat Plinius. in alijs corporis partibus pilorum longitudine non differt ab equo, ſed denſitate ſuperatur: craſſitie verò ſuperat. color vergit plerumque ad cineritiam albedinem. pro viciſſitudine tamen anni temporum pili varias habent in colore mutationes. Caput eſt oblon-

oblongum, & gracile; si conferatur cũ toto corpore: labra magna, prominẽtia, & crassa, & maximè superius; quod accommodato satis vocabulo promuscidẽ vocauit Cardanus, propter ipsius magnitudinem, & prominentiam: & hac de causa retrograditur in pascendo, inquit Plinius, ne in priora tendens inuoluatur. Os longum, dentes non admodum magni, nec longi, aures longæ, lateque. Fœmineus sexus cornibus caret. At masculinum genus multifida, &, vt ita dicam, ramosa cornua producit; sed non tam longa, & frondosa, vt cerui vulgares. Cæterum lata, vel vt dicit Scaliger, latiuscula sunt crassitie ferè duorum digitorum transuersorum, Si vnius cornu figurã spectes, triangularem ferè formam deprehendes, & magnæ auis alam extensam dices. si pondus, duodecim ferme librarum maiorum erit. Cornua mutat hoc animal statutis quibusdam tẽporibus, vt cerui solent. Vnum aliquandiu fuit apud me huius animalis cornu, quod, vt matura poma solent, sponte deciderat. id ex stirpe manife-

stè

ſtè dignoſcitur. duo alia parua habeo duorum, aut trium ab ortu fortè mẽſium, quæ me præſente ex craneo animalis paulò antea mortui abſciſſa ſunt, & hæc molli quadam lanugine ſanguine etiam imbuta erant. Vnde cùm ipſum animal, vnde pullularant, ad metam ſuæ magnitudinis perueniſſet, & tam parua haberet cornua, ſtatui ſine controuerſia poteſt, ab hoc animalis genere, vt dictum eſt, etiam cornua mutari, vt de ceruis ſcriptum reliquit Ariſtoteles. Eſt præterea obeſo, & grandi ventre ferè, vt vaccæ ſunt, cauda mirum immodum breuis, vngues, biſulcæ, & bifidæ, vt bobus. Hæc quidem vera cùm ſint, non eſt, quòd aliquis, de ipſis dubitet. nos.n. quæ vidimus, referimus. Huius animalis imaginem apud quoſdam videre eſt; ſed an referant ad viuum, videant etiam alij. Nos aliquando cùm maius dabitur ocium, ad viuum vt referatur, dabimus operam.

De viribus, ac facultatib. cornuum Magni animalis.

CAPVT IIII.

CVM natura hoc animal & esui aptum protulerit, & saluberrimis, ac reconditis quibusdam facultatibus donauerit; pij hominis officium esse existimaui, vt communis vtilitatis, ac commodi causa paucis perstringerem; quas vires, ac facultates natura ipsa ad hominum salutem tribuerit cornibus, neruis, & vnguibus huius animalis. vt autem àcornibus exordiar, hoc priùs innotescat; antea nullam medicam facultatem præter astrictiuam huius animalis cornibus attributam esse; neque hoc tempore in Suecia tribui, sed non multò ante Prutheni Principes, & Episcopi medicorum fortassis industria, & auxilio suffulti rasuram, siue ramenta huiuscornu plurimum posse in epileptico morbo cognouerunt quod mirum non est, cùm vt infra dicetur, eadẽ virtute proculdubio eiusdẽ etiam vngues polleãt. Aristot. lib. 3. de partib' animaliũ

eandem tribuit naturam vngulæ, quā cornu ceruino. Verùm hoc additur, vt ista cornua hac prædita sint facultate, oportet, vt ab animali ablata sint inter festum Assumptionis B. Mariæ Virginis, & Natiuitatis eiusdem. Alij fortasse superstitiosi aiunt in festo Beati Egidij Abbatis, quod Calendis Septembris celebratur, cornua cum Vnguibus pręcidenda esse, vt hac imbuta sint virtute. Nam si alio die ab animali erunt ablata, inutilia erunt. Hac in re, vt sententiam meam proferam; vanū, & ridiculum esse dico, aliquid pro certo affirmare, quod nullis rationibus comprobari potest. Hoc, quod aiunt, quibus rationibus probabunt? Si ad occultam, siue diuinam aliquam causam confugient, hanc ego potius fugam, quàm probationem appellabo: postea experientiæ telo ipsos iugulabo. Nam cornua, & vngues ab animali aliquot diebus ante, vel post Calendas Septembris præcisa, eadem ad sanandam epilepsiam facultate insignita erant, vt experientia rerum magistra docuit. Quòd autem ipsæ animalis

lis

lis partes extremę hac tantùm imbutę ſint proprietate, ſi abſcindatur inter feſtum Aſſumptionis, & Natiuitatis eiuſdem B. Mariæ, magis conſonum videtur: quandoquidem eo dierum interſtitio animalia ipſa calida, vegeta, & ſucculenta quodam agitata furore in venerem ruunt, ex qua occaſione ſuccus, velut quædam materia turgens, per vniuerſum corpus diffunditur, quo cornibus, & vnguibus ſolidis, ac duris partibus imbutis ea vis, & facultas producitur in ipſis; quæ ceſſante ipſa animalis ex coitu ſucculentia, agitatione, & in venerem propenſione deſinit. nec mirum, cùm doctiſſimus Matthiolus, & alij radices pro re medica facienda ſeruandas, veris potiſſimùm tempore colligendas eſſe cenſeant, hac potiſſimum ratione ducti: quòd tunc ſucculentæ ſunt, ac vt, ita dicam, vtero gerentes. quia necdum ipſarum humor in flores, folia, ramos, aut fructus abierit. Vbi autem hæc veluti à pariente in lucem producta ſunt, ipſæ ferè euanidæ, ac virtutis expertes euadunt. Iridis radix viridis,

ac ſuccoſa in multis efficaciſſima eſt: ſicca ferè inutilis. ſemen coriandri viride, ac innato ſucco plenum fœtidi odoris eſt, obeſt oculis, ſomnum facit, ac delirium affert, ſi comedatur, inquit Auicenna, at ſiccatum his omnibus facultatibus ſpoliatur, ac naturam longè diuerſam, temperamentumque induit. huius farinæ plurima in exemplum trahi poſſent, quibus veriſimile fieret, huius animalis cornu, & vngues coitu elanguidi, & ſiccati, nullius eſſe valoris; ſucculenti verò, ac venereis ſtimulis agitati efficaciſſima: ſed breuitatis cauſa adductis ſum rationibus contentus. Hic tamen procul olfacio, non defuturos aliquos, qui ita dubitabuut fortaſſe. ſi renaſcitur hæc virtus cornibus, & vnguibus ex manante ad eas partes per ea tempora ſucco, veriſimile eſt, illas eiuſdē animalis partes, quibus tunc temporis plus ineſt ſucci, vt viſceribus, & cauitatibus membrorum, magis pollere eo pellendæ epilepſiæ vigore, iuxta illud, ſi de quo minus, ergo & de quo maius. quibus ita reſponſum ſit: quando

do

do dictum eſt, facultatem illam ineſſe cornibus, & vnguibus, alijs verò partibus minimè, rem ita ſe habere, aſſertum eſt experientiæ adminiculo: cui contradicere, ridiculi ſanè hominis eſt. & ſi qua ratio, cur ita ſit, allata eſt, ea non demonſtratiua, ſed probabilis cum authore exiſtimanda eſt, à quo hocquoque additur argumentum: ſicuti ex potentia cuiuſlibet materiæ nõ elicitur quælibet forma, aut quodlibet ſubiectum non eſt aptum, vt recipiat quamlibet formam; ita quælibet huius animalis partes minimè aptæ ſunt ad concipiendam talem facultatem ex tali ſucco, qualis in partibus extremis, vti in materia apta, & benè diſpoſita adueniente tali ſucco innaſcitur; vt res ipſa indicat. Qui tamen his non contenti, pertinaciter adhuc mirantur: has animalis partes extimas huiuſmodi facultate pollere, & non alias, dicant ipſi, quæſo, Cur oculi cancrorum frangunt calculum in renibus natum; cùm id minimè præſtent carnes, & cortices eorundem cancrorum? Cur quædam

herbæ radicibus tantùm valent, quædam ſolis folijs, & floribus? Cur craneum hominis epilepticis prodeſt, cum ſit frigidum? Cur ijſdem coagulum leporinum, (vt prodidit Galenus) cum aceto epotum? Cur, eodem authore, combuſti aſinorum (dubito, an onagrorum intelligat) vngues comitialē morbum curantur? cur eorūdem oſſa combuſta multorū tum epilepſiam, tum arthrytim ſanant? Cur Fibri teſtes ſoli tantopere comendantur? Cur cerui virga, & lucij piſcis mandibula contrita abſque alijs partibus pleuriticis mirificè proſunt? Si nullam de his afferre poſſunt demonſtrationem, contenti eſſe deberent probabili argumēto ab authore in re ſua producto, & potiſſimùm cùm res ſit eius generis, de quo dicebat Alexander Aphrodiſeus: Multa ſunt, quorum nulla ratio reddi poteſt, modum penitus humani ingenij excedentia, Deo duntaxat cognita immortali, qui omnium parens rerum, atque author eſt. quæ cùm elementorum naturam, & vires ſuperēt, demonſtrationibus arctari minimè

poſſunt,

poſſunt, ſed tantummodo rem inſpectant, & demirantur. Neque inquit Ariſtoteles lib. 1. Ethicorum, ſimili modo in omnibus cauſa quærenda eſt; ſed eſt in quibuſdam ſatis; ſi benè demonſtratum fuerit, quòd ſint. & Plato lib. 7. de legibus: Exquiſitè cuncta perquirere, nec facilè eſt, nec omnino poſſibile. Hæc ita de cornuum facultate à nobis declarata corroborant Principes; qui, vt huiuſmodi cornua cum hac inſigni facultate habeant, quo dixi, tempore, hoc animal potiſſimùm venari ſolent; quia cornua ipſa tunc temporis decerpta, hanc contra epilepſiam vim obtinere non dubitant. Calculo albo hoc comprobauit primarius vnus noſtræ ætatis Princeps in reconditis, & abditis naturæ rebus indagandis ſagaciſſimus: Cuius nomen in re tam parua ſupprimo: quanquam ipſum humillimè coluerim, obſeruarim, & fortunatiſſimum voluerim. Is igitur inter alia; quæ obſeruauit ſecreta, hoc habuit: raſuram cornu cernini ablati ab animali inter feſtum Aſſumptionis B. Mariæ,

& Natiuitatis eiuſdem lumbricorum interficiendorum, præſentanea vi pollere; ſi ſtomacho ieiuno exhibeatur cum vino, aut aqua graminis, aut alio idoneo liquore. Idem inſuper obſeruauit, limaturam cornu ceruini eodẽ tempore ablati habere eandem facultatem contra venenum, quam habet limatura cornu monocerotis. Vnde, vt hoc alexipharmacum haberet in promptu, eo potiſſimum tempore ceruos venari ſolebat. His ego principibus non poſſum non multas laudes impertire; quòd ea recondita indagarint, & alijs indicauerint. Horum quoque aſſertionibus non poſſum fidem non adhibere; cùm ipſis commodum fuerit experiri, neque vana loqui ex conſuetudine ſoleant. Præter principes autem non deſunt alij, quibus ferè nihil deeſt ad perfectam eruditionem; qui tantum tribuunt ceruis, vt dicant: Ceruum tota ſui natura contrarium eſſe omni venenorum generi, tanquam alexipharmacum. Vnde aiunt, dormire ſub eius pelle, & cornua exurere valde vtile eſt, & continuò

nuò vesci ipsorum carnibus præseruat à peste. De cornibus aiunt: bibere ex vase facto ex cornu ceruino, tuetur ab omni veneno, & putredine. per distillationem etiam extrahunt aquam: & oleum ex cornibus ceruorum iuuenum. aquam potui dant, oleo arterias inungunt contra venenum. Si hæ igitur insunt facultates ceruinis cornib⁹ plerisque notis, & præsertim statuto illo tempore ablatis, sine controuersia admitti quoque debet, ad epilepsiã curandam facultatem inesse cornibus Magni animalis eodem tempore dem ptis, & potissimùm, cùm id vsus ipse doceat, & hoc animal inter ceruorum genera numeretur. Hæc de cornibus habui, quæ dicerem.

De neruorum facultate.

CAPVT. V.

DE neruorum huius animalis facultate neque apud Pruthenos, neque apud alios scriptores quicquã penitus audiui, aut legi. in Suecia tamen quosdã noui; qui cùm sæpissimè corriperẽtur ea cõuulsionis specie, siue spasmo, qui Italicè Ranfo dici solet

cingulo facto ex huius animalis neruo circundabant, & ligabant membra illa nuda, quæ conuellebantur. Vnde cùm neruum hunc eo modo noctes, atque dies gestarent; maximum inde leuamen se sentire, prædicabant. quia alius per longa interualla ea passione carebat, alius omnino liber euadebat. Hac occasione admonitus, non omittam aliud ad hoc conuulsionis genus remedium acceptum à quodam probato viro, & sincero amico: quod est huiusmodi: largè ligare conuulsum membrum cortice canapi masculi semen ferentis, detracto ab ipsa radice sursum, aufert, & arcet cōuulsionem.

De vnguium facultate.

CAPVT VI.

INter cæteras huius animalis partes vnguibus plurimum tribuunt & Sueci, & Prutheni, & alij scriptores nō pauci. vngues enim epilepsiam ita auferunt, vt incantamento simile quid facere videantur. nec mirum; cùm hoc animal eo morbo laborare sæpius, & remedium secum portare certum sit,

vt

vt antea dictum eſt. Verùm hoc admiratione dignius eſt, hunc vnguem nõ tantùm Terapenticon remedium eſſe, ſed etiã Prophylacticon. non.n.ſolùm factam iam epilepſiam curat, ſed futuram etiam prohibet, quod ego vix crederem, niſi ipſa me docuiſſet experientia: Non.n. veriſimile videbatur huius vnguis facultate à morbo præſeruari quicquã aliud poſſe; cum animal ſeipſum, cuius vnguis eſt, non poſſit. Non omittendum eſt, hoc eodem vngue hyſtericam paſſionem remoueri, remotamque arceri. eodem appoſito membris cor reſpicientibus egregiè ſuccurritur multis affectibus cordis. Sed hoc remedium quomodo, & quando applicandum ſit, & exhibendum, vt curet, & præſeruet, dicemus paulò poſt. Nunc quod in quæſtionem trahi poteſt, prius explicandum eſt.

An omnes huius animalis vngues eandem habeant facultatem.

CAPVT VII.

CVM variæ ſint opiniones de his vnguibus, an omnes hanc candē facultatem, & proprietatem obtineant; quid ab alijs ipſe audiuerim, & quid ipſe ſentiam, in medium proferre operæ pretium eſſe duxi. Non deſunt, qui ſiniſtro vngui poſteriori plus tribuunt, quàm alijs. quia, vt aiunt, animal hunc auri apponendo, morbum propellit. ego verò dextro potiùs, quàm ſiniſtro poſteriori primas tribuendas eſſe cenſerem. Si.n. vtriuſque vſum reſpicimus, dexter faciliùs, quàm ſiniſter auri apponitur: aut vtrunque ſine diſcrimine eadem pollere facultate pronunciarem; cùm vterque auri admoueri, & applicari ſine difficultate iuxta appetitum animalis, & loci & ſitus opportunitatem poſſit. Anteriores vngues hac virtute à cæteris omnibus vno ore priuantur, verùm ego non poſſum adduci, vt credam, eos omnino hac virtute ſpoliatos eſſe. Nam ſi vſus, & experientia docuit, cornibus eandem ineſſe facultatem, quam pedes habent poſteriores, quantò

quantò verisimilius est, pedes alijs pedibus eiusdem animalis similem habere facultatem? non est tantum discriminis ponendum inter pedes anteriores, & posteriores eiusdē animalis; quantum ponitur inter radices Pæoniæ maris, & fœminæ, quarum prior recens collo appensa, puerū epilepticū illico sanitati restituit, vt Galenus, & alij docuerunt, & ego nonnullis experimentis in Suecia vidi; vbi istius Pæoniæ magna est copia, & colligitur ad hunc vsum, decrescente Luna. altera nempe fœmina hoc præstare nō solet, vt multis multorum experimentis compertum est. pedes.n.anteriores, & posteriores in eodem sunt corpore, specie non differunt: at Pæoniæ duæ sunt species diuersæ, & seiunctæ. At dicet aliquis: hoc animal non dicitur apponere auri anteriores pedes, vt liberetur à morbo, & propterea id facit; quia posteriores pedes illam possidēt facultatem, & non anteriores. Huic ego obijcerem quædam experimenta, quibus comprobatum est, pedes anteriores suppetias minimè ficulneas epilepti-

lepticis attulisse. Præterea respondere͂, ipsum argumentum necessitatem nō inducere. potest.n. esse, vt pedes anteriores eandem illam obtineant facultatem, quam posteriores: & tamen auri non ita commodè admoueantur, sicuti posteriores. videre est enim omnes ferè quadrupedes, quando corpus volunt scalpere, aut molestiam aliquā lenire, posteriorum pedum seruitio vti sæpissimè: anteriorum ferè nunquam. Hisce experimentis, & rationibus ego adductus, pedes huius animalis anteriores inutiles esse ad hanc re͂, statuere non possum. Non desunt multæ existimationis viri, sed à Musis alieni, qui sic anterioribus vnguibus facultatem hanc egregiam tribuant, vt his solis, & præcipuè sinistro omnia impertiant: posterioribus verò nihil, aut parùm. Hanc suam sententiam hac potissimùm ratione confirmant: Hoc animal, cùm eo corripitur morbo, in terram supinum concidit, quemadmodum homines quoque solent. ita dum iacet animal, vngues anteriores ex flexura genu ad regionem cordis se

demit-

demittunt frequenti motu: ex quorũ appoſitione, & tactu cor refocillatur, ac reſumit vires, & propulſo morbo in priſtinum ſtatum reſtituitur animal. hoc ipſis tã veriſimile videtur, quàm quod veriſimillimum. Quòd verò hoc idẽ animal epilepſia oppreſſum, eam propellat poſteriorem vnguem auri apponendo, vt antea dictum eſt, vt credant, adduci non poſſunt, cùm tamen argumentis contradicere nequeant. Doctus autem aliquis hoc modo pro illis refellere poſſet. Cùm epilepſiam definiant medici, conuulſionem eſſe totius corporis cum principum operationum læſione; quis tã mentis inops eſt, vt credat, durante morbo animali facultatem, aut pedes ſuum officium præſtare? hoc fieri non poſſe quotidiana hominum experientia demonſtrat. Si igitur animal neq; voluntatis officio, neque membrorũ ſeruitio tunc temporis vti poteſt, quomodo vnguem poſteriorem auri applicabit? Quo autem modo anterior ad cordis regionem ſuapte natura cõcidat, quilibet oculis ipſis cernere po-
teſt

teſt in brutis animalibus recenter claua proſtratis, ac ſupinè iacētibus, quibus anteriores vngues cordi adiacent. Hoc argumentum quamuis multum roboris habere videatur; parùm tamē me mouet. Pluris.n.meo iudicio facienda eſt in hac re multorum aſſertio, & experientia artis effectrix, quàm huiuſmodi argumenta. Rationi ſiquidem, inquit Ariſtoteles, fides adhibenda eſt, ſi quæ demonſtrantur, conueniunt cum ijs, quæ ſenſu percipiuntur. Ego in Suecia, vbi magna eſt copia horum animalium, & Hiſtoriam hanc didici, ne verbum quidem audiui de anteriorum vnguium appoſitione ad cor, neque de morbi ex ea leuamine. De propulſione morbi per appoſitionem vnguium poſteriorum ad aures vno ore omnes aſſerunt & venatores, & ſenes ipſi; quorum opinionibus ſine demonſtratione non minùs inhęrendum eſſe cenſet Ariſtoteles lib.6.Ethicorum, quàm demonſtrationibus ipſis. Sed an hoc abſurdū, illud verò probabile ſit, pluribus non diſputo. accipiat, quam quiſque vult opinio-

opinionem; modò non ſit dubium de virtute vnguium. parui.n. ſcire refert, quo modo ſuum morbum propulſet animal. Attamen ne priorem, & vniuerſaliorem opinionem oppugnatã omnino deſtituam, hoc vuum addo. Quæ egregiam hanc vnguibus facultatem indidit natura, eadem huic animali elargiri particulatim potuit, vt ingruente morbo, quemlibet ex vnguibus auri porrigere, & extendere valeat. Cùm igitur hoc animal, vt dictum eſt, poſteriorum pedum ſeruitio, & vſu morbum pellat, ſi quis à me exactiùs quæreret, quid de ſingulis pedibus, ſine vngulis ſentiam, plus ne vni, quàm alteri tribuã, ita ſatis facerẽ; primas tribuẽdas eſſe dextro, ſecundas ſiniſtro poſterioribus, duos anteriores in poſtremis conſtituẽdos eſſe: ita tamẽ, vt nõ omnino illius facultatis expertes cenſeãtur: hæc eſt mea ſentẽtia.

An vngues præcidẽdi ſint ex viuente animali, vt epilepticis ſubueniant.

CAPVT VIII.

QVI

QVI horum vnguium facultates se nosse arbitrantur, & in vsum deduxerunt; constanter affirmant, hos præcidendos esse ab animali adhuc viuente, & quo supradictum est tempore, alioquin ad rem inutiles esse. Olaus Magnus lib. 18. alias quoque conditiones in his vnguibus, vt contra epilepsiam sint efficaces, requirit. inquit.n. vngula exterior dextri lateris pedis posterioris onagri masculi, qui non genuit, abscissa à viuo pede securi, vel alio instrumento auulsa post medium mensis Augusti, spasmum, aut morbum caducum patienti adhibita continuò sanat. arduæ sane, ac difficillimæ conditiones. quæ si omnes essent necessariæ, non pauciores pro ea vngula assequenda difficultates, & labores essent superandi, quàm pertulit Iason pro rapiendo vellere aureo, & faciliùs fortasse esset, plures phœnices, aut coruos albos inuenire, quàm huiuscemodi vngulas efficaces. sed harũ nunc non parua est copia. quare his, quæ superstitionem, ac vanitatem sapiunt, posthabitis conditionibus, de

proba-

probabilioribus dicamus. Has itaque vngulas à maſculis tantùm animalibus abſcindendas eſſe, affirmare non audeo; cùm de ea re ne verbum quidem audiuerim, aut legerim. Verùm neque pertinaciùs negare poſſum. Cùm.n. corporis bona conſtitutione, robore, & alijs tum animi, tum corporis bonis maſculinis ſexus longè ſuperet fœmineum, quem philoſophi imperfectum, diminutum, & mancũ vocitare conſueuerunt, non mirum, imo veriſimile eſt, maſculinum hoc animal vngulæ præſtantia ſuperare fœmineũ. detur itaq; hoc Olao. Quòd eo potiſſimùm tempore ſint abſcindendi, facilè aſſentior, cùm propter ea, quæ antea dixi, tum quia ea temporis intercapedine eo morbo grauiùs, & ſæpius afficitur animal, quàm alijs temporibus. Veriſimile.n. eſt naturam ſagacem, & prouidam, quæ neque in aliquo deficit, neque quicquam fruſtra facit, auxilium indidiſſe pro temporis neceſſitate, atque animalis indigentia. Sed hic duæ inſurgere poſſunt difficultates ſatis graues: quarum prima

ma eſt: veriſimile videtur magis ipſas animalis partes ea vi propulſandæ epilepſiæ vigere quolibet anni tempore. Nam cùm quolibet tempore ſine diſcrimine animal ipſum eo infeſtetur morbo, & appoſitione pedis aut ad cor, aut ad aurem ſemper refocilletur, argumento eſt, ipſam vim ſemper illis ineſſe; alioquin non ſemper, ſed eo tantùm tempore, quo virtus ineſt, pedis appoſitio prodeſſet. Sed ſuppoſitū iam eſt, animal ipſum quolibet tempore eo corripi morbo, & vngue ſemper ſanari. quocunque igitur tempore anni abſcindetur vnguis, virtus ei inerit. Niſi experientiæ repugnaret, multum roboris haberet hoc argumentum. Sed ipſa iam docuit, virtutem hanc vnguibus certo tantùm tempore abſciſſis inhærere. at poſthabita paulisper experientia, detur, animal quolibet anni tēpore eo inuadi morbo, & pedis appoſitione ſemper ſanari; non tamen neceſſariò id ſequitur, quod obijcitur. dicimus.n. vnguem ablatum alio, ac dictū eſt, tempore, nō tantum roboris, & facultatis obtinere;

re; quantum, si constituto iam tempore ablatus esset: & hoc non propter succi inopiam, sed propter aliarum occasionum defectum. nihilominus ipsa exigua, & quantumuis debilis facultas sufficiet semper pro sanando corpore, cui inest; non autem sufficiet pro altero, cui non inest, curando. separatus verò vnguis, quo dictum est tempore, cùm multò maiorem, vegetioremq; vim contineat, alteri quoq; opem ferre potest. quod prouidentiæ ipsius naturæ assignare quoque absurdum non erit, vt antea dictum est. Altera difficultas est huiusmodi: Non videtur rationi consentaneum, has animalis partes ea pellendæ epilepsiæ facultate pollere magis, quando animal ipsum eo grauiùs infestatur morbo, quàm quando sanum degit, aut leniùs afficitur. verisimile. n. est largiorem & salubriorem esse animalis succum, cùm valet, quàm quando infirmatur, & lãguet. quod medicorũ authoritate cõprobatur; qui quando ad rẽ medicã aliqua ex animalibus cõferunt, ex boni habitus animalibus, & sanis desu-

menda præcipiunt. Hoc argumentum ſanè validum eſt, ſed non ex omni parte verum, & neceſſarium; quandoquidem ex animalibus putrida quædam ad rem medicam adhibentur opportunè. præterea in multis ipſi experientiæ aduerſatur; quod ſi cui mirum videtur, ſedato animo, quæ ſequuntur, audiat. Si iecur canis rabidi aſſum edatur, remedium eſſe ijs, qui ab ipſo fuerint morſi, proditum eſt: vt Galenus inquit. Raſis quoque lib. 10. Continētis, inquit, ſumere ſanguinem canis rabioſi contra morſum eiuſdem, eſt certa res, & experta. nonne tamen veriſimilius eſſet, iecur, & ſanguinem canis ſani ſanare, & rabientis morſum magis lædere? Lapis ab homine extractus & contritus, & in potu exhibitus calculum in renibus frangere, & comminuere dicitur ab vniuerſa pene medicorum ſchola. rationi tamen magis conſentaneum videtur, ex ſubſtantia lapidis apposita lapidi additionē potius, quàm diminutionem, aut comminutionem fieri: hoc tamen non fit. Oleum ſcorpionum præſentiſſimum

reme-

remediũ eſt ijs, qui à ſcorpione morſi ſunt. Hæc Galenus ait in lib. de Theriaca ad Piſonem, (ſit ipſius, aut alterius hic liber, non diſputo in præſentia) & quæ ſequuntur. Vulneri à crocodilo illato adipem ipſius admotum ſummopere profuiſſe animaduertimus. Itemq́ue aranei muris morſus, qui etiam interficiunt, ipſo mure araneo cõtrito, & impoſito ſine dolore perſanari. Simili modo à viperis icti periculum effugiunt, ſi trita ipſorum corpora vulneri impoſita fuerint. Sed ad rẽ redeamus. Quòd viuente adhuc animali vngues ſint præcidendi, ridiculũ mihi videtur. Nam qui hoc aſſerunt, timerè videntur, ne mortuo animali ſimul pereant vngues, & illa facultas euaneſcat. at ſi viuente animali præciſi ſint, putant fortaſſe vngues adhuc viuere, & in ipſis conſeruari illam virtutem. quod quàm abſurdum ſit, & puerile; aliorum ſit iudicium. Mihi quidem videntur vngues nihil inter ſe differre, & eodem modo exanimes remanere; tam ſi ex viuente adhuc animali, quàm ſi ex mortuo excindantur.

tur. Si hoc animal paulatim, & ſenſim, ac tardè, aut interitu naturali animã efflaret; ego in iſtorum ſententiam faciliùs deſcenderem. quia in longo tẽporis curriculo aliquid de facultate vnguium cum toto corpore conſumi, & euaneſcere poſſet. Sed cùm ex minimo vulnere, & ex timore illico concidat, & pereat; neſcio, cur de pinguedine, & natura aliarum partium nihil penè deperdatur, & ſoli vngues ſuam illam facultatem eo temporis momento penitus exuant. Hic mihi negocium faciet rerum nouarum ſtudioſus aliquis quædam obijciendo, quæ ad fabuloſam Magiam potiùs, quam ad Phyſicam ſpeculationẽ pertinebũt: cuiuſmodi ſunt hæc: Caudæ lupi creditur ineſſe amatorium virus exiguo in villo, eumq́ue cùm capitur abijci, nec idem pollere, niſi viuenti direptum. Chelidonius lapis hirundinum ventribus diſſectis erutus curat melancholiam, & geſtantem amabilẽ facit. Sed niſi extractus ſit viuente adhuc animali, euaneſcit eius virtus. extractus verò ex viuente virtutem retinet.

net. Ijſdem, & alijs prædití virtutibus dicuntur Geranites, Draconites, Alectorius, & Borax lapides, modò quilibet ipſorum ex viuente animali fuerit extractus. Vnde à ſimili ducto argumento, ex iſtius Magni animalis vnguibus ij tantùm retinebunt poteſtatem, qui à viuente ſunt deciſi. Hæc quidem ſi ita ſe habere conſtaret, probationem aliquam contra nos facerent. Sed cùm incerta ſint, & minimè digna, quæ ſine probatione admittantur à philoſophis, hoc vnum dicemus: Ignotum per ignotius probari. Demus tamen, hæc de cauda lupi, & lapidibus adducta aliquam veritatem habere: non ideo ſententia noſtra corruit. Nam & nos afferre poſſumus exempla quarundam rerum, quæ ex vita carentibus animalibus dempta operantur, & agunt eadem ferè, quæ ipſa animalia vitam adhuc degentia efficiebant. Ferunt.n. lupina pelle tympanum conſtructũ maximo ouibus eſſe terrori nõ aliter, ac lupus ipſe: & quod maius eſt, eo tympano concuſſo ea dicũtur tympana diſſolui, quę ex agnino

 corio

corio ſunt confecta. tympanum ex vrſi, vel lupi corio confectum, & longè pulſatum equos in fugam abigit. Leonis pellis ceterorum animalium pelles abſumit non aliter, ac leo ipſa animalia. lupinæ pelles agnorum pelliculas erodunt. Si hæc ita ſunt, (dicemus nos etiam) cur Magni animalis vngues à cadauere ablatos omni illa virtute ſpoliatos eſſe credamus? Sed his omiſſis ſententiam noſtram efficatioribus argumentis roboremus. Facultas igitur illa vnguium, quæ epilepſiam aufert, aut eſt quid materiale, ſiue corporeum; aut quid ſpirituale, ſiue aëreum. Si materiale eſt, illud remanebit in vnguibus quouis modo præciſis. Sin ſpirituale, eodem modo prodibit ex vngue tam viui, quàm mortui animalis, quare in neutro remanebit: Sed in aliquo remanet. ergo illud materiale eſt; & ſi huiuſmodi, ergo in vtrouis modo præciſo permanebit virtus. Hoc idem exemplis comprobari poteſt. Nam de calculo hominis, vt alterius calculum conterat, & de lapillis cancrorum, nemo dicit, eos ex

viuis

viuis tantùm eſſe extrahendos. qui Fibri teſticulos commendant, non ex viuo euiſcerandos aſſerunt. De precioſiſſimo lapide Bezoar vocato noſtra tempeſtate tantopere celebrato, qui diligentiùs, fideliúſve ſcribunt, non ex viuente animali eruendum eſſe docent, vt mirificis ſuis floreat dotibus. quinimo confecto animali lapidem è burſula, ſine ventriculo extrahi ſolitum tradunt. Huius generis alia multa adducere poſſem. Sed prolixitatis euitandæ gratia adductis contentus ero. Non poſſum igitur non mirari; quòd ea tam fabuloſa protulerint quidam. Somniauerunt fortaſſe rem ita ſe habere, & ſua ſomnia, ſiue commenta hominibus obtrudere voluerunt, vt vngues iſtos in ſublimi, & inacceſſibili quodam ſolio collocarent, quo principes, ac magnates tantùm peruenire poſſent. Si.n.ita res eſſet, ſicuti ipſi autumant, maxima vnguium huiuſmodi eſſet vbique penuria. quia difficillimum eſſet eo modo habere.aſtutia igitur, & calliditate aliquorum arbitror, illud in vulgus emanaſſe.

nasse. Dum.n.magnam prædicant difficultatem in vnguibus istis assequendis, ipsi soli, quibus est copia assequendi, aliquid singulare, & exquisitum habere videntur. & quando ad principes huiusmodi vngues dono mittunt, illa exposita difficultate munus suum ornant, commentis, ac veluti fuco decorant; quò illud maius videatur, & gratius euadat. his non contradicendi studio, sed veritatis illustrandæ gratia habitis, finem huic disputationi facio. Reliquum nunc est, vt quomodo applicandus, aut exhibendus sit hic vnguis, vt malè affectis eam, quam pollicemur, opem præstet, ostendamus.

Quomodo porrigẽdus sit hic vnguis, vt epilepticis, & suffocatis mulieribus opẽ ferat.

CAPVT IX.

SI quis epilepsia correpto partem huius vnguis sinistræ manus digito, quem annularem dicunt, & rectitudinem habere ad cor, medicorum

ſchola aſſerit, intrepidè applicauerit; æger ab hoc morbo, tanquam à ſomno excitatus in pedes ſe eriget illico, ac liber euadet. Si etiam anulus ex eodē vngue confectus patientis eundem digitum veſtiuerit, efficatiùs idem præſtabit. quia non pars, ſed totus digitus anulum attingit. Si inſuper pars huius vnguis ſiniſtræ palmę imponatur, manuſq; in pugnum complicetur, morbum confeſtim depellet. Si eiuſdem quoque portiuncula in aurem ſiniſtrā miſſa, & aliquandiu veluti ſcalpendo mota fuerit, idem ipſam non ſine miraculi ſuſpitione feliciter præſtabit, non tantum autem dictis membris hunc vnguem applicandum cenſeo, ſed cordis etiam regioni apponēdum ſuadeo. quamuis. n. in hoc morbo cerebrum primariò afficiatur, vt inſtrumentale: tamen etiam cor per ſympathiam affici certum eſt. cui ſi ſuccurratur eodem vngue, eximiè operam ſuam præſtat ad expellendam craſſam illam materiam, quæ cerebri meatus occupans hunc morbum facit. Huius vnguis raſuram ipſe dedi, & ab alijs

cum

cum felici ſucceſſu datam ſcio epilepticis pueris cum aqua liliorum conuallium, aut ſpicæ, quam lauandulam vocant. Hic locus mihi in memoriam reuocat non vulgaria quędam contra eundem morbum remedia, quæ communis vtilitatis cauſa huc afferam. Inter omnia primas tenet hic puluis. ℞ec. caluariæ humanæ ſiccatæ, & vſtæ ℥.1. raſuræ vngulæ Alcis iuſto tempore ceſæ, cornu ceruini vſti ana ʒ.ij. viſci quercini, granorum pæoniæ rad. pæoniæ maris mundatæ, rad. tormentillæ, rad. & ſem. diptami albi ana ʒ.iS. ſem. antheræ, atriplicis ana ℈ ij. coralli vtriuſque præparati, eboris recenter raſi, margaritarum præparatarum ana ʒ.j. fol. auri num. xxx. ſpinarum piſcium ℥. S. ſacch. albiſſ. ℥. ij. miſce, & terantur omnia ſubtiliſſimè in lapide porphyrij, & fiat puluis, qui vocetur epilepticus. detur ex eo ad ſummum ʒ. 1. cum vilep. viol. aut cum aqua liliorum cōuallium, aut florum tiliæ, aut ceraſorum. Impendio quoque conducit epilepticis illa, quæ vocatur aqua vitæ ex floribus liliorum conuallium per balneum

neum Mariæ vocatum diſtillata ad hunc modum. Rec. vini Cretici lib. 16. florum liliorum conuallium lib. iiij. miſce maneant ſimul in vitro benè clauſo ad ſolem per dies nouem, deinde fiat diſtillatio. poſtea Reci. ipſam aquam diſtillatam totam, florum lauandulæ viridis lib. j. miſce, maneant, ad ſolem per nouem dies, vt antea, deinde 5. art. diſtillentur per balneum Mariæ. ex hac ſolent dari in ipſo paroxiſmo tres, aut quatuor guttulę ægrotanti. Ego aliquando cum felici ſucceſſu exhibui puero epileptico puluerem ex æquali portione raſuræ iſtius vngulæ, rad. pæoniæ maris, & ſuccini candidiſſimi cum aliqua ex iam dictis aquis. ſolius pulueris ſuccini albi magna eſt vis. Sed inter ea, quæ ego ſæpe ſum expertus, ingenuè fateor; me nil præſtantius, nil efficatius inueniſſe oleo ex ſuccino albo per diſtillationē elicito. exhibitio. n. guttæ vnius, aut duarum ipſius cum cochleari lactis muliebris, aut accommodatę alicuius aquę in ipſo paroxiſmo, ægrum à morbo, tanquam à ſomno excitat. eiuſdē

efficа-

efficatiæ censetur oleum sulphuris. nam si ex eo detur parum cum decocto betonicæ & pæoniæ, impetũ morbi franget discutiendo eam materiam, quæ cerebri meatus occupat. idẽ præstabit medium cochlear olei terebentinæ. non parũ roboris tribuitur aquę distillationis cerasorum, si ex ea ℥. 5. mittitur in os epileptici. Trallianus rutæ Syluestris cõtritæ, & naribus appositæ vsu se nunquam frustratum dicit. Craneo humano quantum tribuatur, omnes penè norunt. Sed non omnibus ita liquet, ex ossibus humani cranei oleum per distillationem parari, quò si sutura Lambdoidis inungatur, eidem morbo nullum est præsentius remedium. quæ passim apud authores leguntur, & sunt in vsu tanquã nota, & probata omittimus, & ad vnguem, à quo diuertimus, iam reuertimur. Experientia etiam compertum est, hunc vnguem suffocatis mulieribus præsentissimè subuenire. Nam quotiescunque parum rasuræ huius addita eadem portione Zedoariæ cum aliquo conuenienti liquore datum

tum eſt ſuffocatæ mulieri, felicem ſucceſſum cum laude inuenerunt medici. Quapropter Prutheni medici non contemnendi compoſitis medicamẽtis non ſolùm ad epilepſiam, ſed etiam ad hyſterica dicta ſymptomata hunc vnguem addiderunt. Nec inficias irẽ, quo minùs in vtroque affectu idem etiam præſtari poſſit, ſi pars huius vnguis alligaretur alicui membro ſuperiori, vbi manifeſtè arteriæ pulſus ſentitur: nec habenda eſſet ratio dextræ, aut ſiniſtræ partis hominis in applicatione: ſed rectitudo (quam catixin Græci vocant) tantum inſpicienda eſt, quam habet ad cor pars illa, cui applicatur. Præter hunc vnguẽ apud quoſdam hoc cerotum, & puluerem tam in curatione, quàm in præſeruatione ab hyſterica paſſione in frequenti vſu eſſe reperio. Cerotum recipit galbani pinguis, & albicantis, bdellij mollis, amoniaci electi, Caſtorei, bituminis. Iudaici ana ℥.1. aſſæ fœtidæ ℥. 5. matricariæ, florum camomillæ, anethi, meliſſæ, xiloaloes, galangæ, pulegij ana ʒ. iij. ſem, carui, ameos, rutæ

ana

ana ℥.1.ʃ.diſſoluantur gummata in optimo aceto, & alia puluerizentur, & mixtis omnibus cum oleo Keirino, cera, & pice ana. q.ʃ. fiat Cerotum ʃ. art. quod applicetur circa loca renum, dorſum, & vmbilicum, & vbi conuulſionem, & dolorem magis ſentiunt mulieres. Puluis eſt huiuſmodi. Recipe fol. meliſſę ℥.ij. saluię, anthos ana ℥.1. zedoariæ, oppoponacis optimi, granorum pæoniæ mundatorum ana ʒ.ʃ. maſticis, coralli rubei præparati, Iuæ artelicæ ana ℈.iiij. ſem ſileris montani ʒ.1.ʃ. miſce, & fiat puluis ſubtiliſſimus, de quo detur ad ℈. iiij. cum aqua artemiſiæ, aut matricariæ, aut cap. ven. aut feniculi. Non ego inficias irem, quin verus lapis Aquilæ, Aetites dictus, huic paſſioni ſuppetias ferret alligatus interiori parti alterius femoris, aut in puluere potui datus. Hic tamen eſt animaduertendum, quòd quando in huiuſmodi affectibus vtimur huius vnguis beneficio, alia auxilia, quæ medicis ſunt in vſu, non ſunt prætermittenda. Sed quæcunque eodem tempore fieri poſſunt, rupta omni mora,
ſunt

ſunt facienda. non. n. huius vnguis facultates ideo in lucem proferimus, ac tantopere commẽdamus, vt antiquis remedijs aliquid detrahamus, & veram medendi methodum euertamus; Sed vt aliorum inuentis pro virili parte noſtra aliquid addamus more maiorum, qui nihil intentatum reliquerunt, vt quam plurima nobis remedia contra omnes morbos ſcripta relinquerent. De Terapeutica huius vnguis facultate hæc ſufficiant. nunc ad Prophylacticam tranſeamus.

Quomodo ſit applicandus hic vnguis, vt ab epilepſia, & hyſterica paßione præſeruet.

CAPVT X.

CVm antea dictũ ſit, hunc vnguẽ non ſolùm curare comitialem morbum præſentem, ſed etiam ab eodem præſeruare; iam tempus eſt, vt ipſius præſeruatiuum vſum declaremus. vt igitur aliquis tutus ſit ab eo morbo, aliquid de ipſo vngue ſecum por-

tare debet. Quot autem modis secum quis ad hunc finem portare debeat, etiam dicendum est. Qui ex hoc vngue annulum gerit circa digitum, qui minimo proximus est, sinistrę manus, liber creditur ab hoc morbo. Hunc modum approbant Pæoniæ artis non vulgares artifices, si quis etiam frustulum vnguis annulo inseruerit, ac ipsum ita gestauerit, vt vnguis semper digitum illum tangat; idem assequetur. Nonnulli etiam particulam huius vnguis collo appensam ita, vt continuò cordis regioni sit contigua, gerere solent. neque id sine felici euentu. vnde Prutheni multi vnguis partem cordis figurã habentem, tanquã monile aliquod collo pendens gestare solent. Pręseruatiuum auxiliũ pro pueris epilepsia corripi consuetis hic præterire non possum. Recipe olei amigdalarũ dulciũ recenter expressi ℥. 1. Smaragdi ℈. j. penidij ℥. 5. misce in formam locchi. da infanti, antequam sugat vbera. Ceterùm qui certissimam præseruandi methodum, & auxilia cupiunt, perlegant, & obseruent Galeni consili-

consilium pro puero epileptico, & vsum coriandri, & boli armeni à Tralliano tantopere cōmendati nō omittant. Contra matricis quoque suffocationem hunc vnguem præsentaneum esse remedium, & ab alijs audiuisse, & periculo facto me cognouisse fateor. Nā accersitus, vt medicā manū adhiberē cuidā mulieri suffocatione oppressæ, data huius vnguis rasura cum radice Zedoariæ, alijsq; auxilijs ex arte adhibitis, optatū finē cū honore sum cōsecutus. Cùm præterea intelligerē eandem sępenumero eo ipso morbo tentari, vt partē huius vnguis collo appēsam iugiter portaret, iniunxi. quod cùm sedulò fecisset, quandiu ego interfui, tribus nempe mēsibus, ea semp molestia caruit. Vnde mihi multoties gratias egit. Sed si quis, cùm applicat, & exhibet hunc vnguem, spe, & fine frustratur aliquādo; quæso, ne aut mēdacij notā mihi inurat, aut vngui omnino detrahat. Verùm rationē in consiliū adhibeat, & meminerit, morbū ipsum, quando diutino tempore inueterauit, & altas radices egit, diffi-

cillimè euelli; licèt opportuna per se exhibeantur remedia. aliquando etiam vnguis ipse est virtutis expers, aut quia antiquitas, quæ omnia cõsumit, illam perdidit; aut quia idoneo tempore vnguis non est abscissus. non erraret etiam siquis frustratæ spei causam conferret in immoderatam, & ærumnosam ægri victus rationẽ. Nam Galenus in lib. de Theriaca ad Pamphylianum inquit: Nullum tam præstans in medicina remedium est, quod præstare eam opem, quam pollicetur, possit, cui victus ratio aut aduersetur, aut non adiumento sit.

Partes huius animalis Qua facultate agant in corpora nostra.

CAPVT XI.

SI quis à me quæreret de istius animalis partibus, quas recensui, qua facultate agant in corpora nostra, anà qualitatibus primis, vel secundis, vel à tota substantia, quam proprietatem occultam, siue formam specificam ap pellant;

pellant; facilè reſponderem; ipſas agere à tota ſubſtantia. quòd non agant à primis qualitatibus, paucis probatur. Cùm. n. hæ partes temperamento frigidæ ſint, & ſiccæ, ab his effectus huiuſmodi effluere non poteſt. non quia frigidæ: alioquin contra medicos canones frigidus morbus curaretur à ſimili. non quia ſiccæ: quandoquidem ipſarum tanta quantitas non exhibetur, quæ morbi cauſam exiccare valeat. A ſecundis quoque ipſarum qualitatibus nempe duritie, aut mollitie hunc fugari morbum, non tutum eſt aſſerere. non quidem à duritie; quam obtinent; alioquin oſſa eiuſdem animalis duriora contra eundem morbum efficatiora eſſent: quod compertum non eſt. præterea ab his qualitatibus nulla per ſe prouenit actio. Sumpto igitur argumento à ſufficienti partium enumeratione, ſtatuendum eſt, ex modo compoſitionis, & commixtionis talis ſucci cum tali materia congenitam eſſe ipſis animalis membris qualitatem hanc, ſiue formam ſpecificam, à qua ſola propellitur hic ſacer morbus, nõ

aliter, ac lupinum hepar hominis hepati indurato, teste Galeno, eximiè medetur à tota substantia, non secundum vnam, aut alteram qualitatem. & Monocerotis cornu, & lapis Bezoar abdita quadam proprietate omnia venena discutiunt. qua de re vsu, non ratione talia sunt inuenta. quæ.n.inquit Galenus, agunt à tota substantia, experientia cognoscuntur. quæ verò operantur à qualitatibus, methodo sunt inuenta. At insurget in me aliquis Galeni limites nunquam egressus, & eos fortasse non benè contemplatus, qui dicet, non prudenter à me factum esse; quòd tam prolixa disputatione egi de hoc animali, & eiusdem partiũ occulta proprietate, eò quòd Galenus de occultis disputare non soleat. Sed hæc crassa nimis est caligo oculis obducta; quam discutere non erit arduum allata distinctione, qua & caliginis, siue erroris fundamentum subuertetur. Eorum igitur, quæ secreta, siue occulta apud medicos, & philosophos dicuntur, tria sunt genera. Vnũ, quod incognitum dicitur, quod tamen

men in lucem veniet. alterum, quod paucis cognitum eſt, & idcirco apud homines in pretio eſt. tertium multis cognitum; cuius tamen cauſa ignoratur. hoc genus in diſputationem non trahit Galenus; ſed multa docet, quæ ſub hoc ſunt genere. Secundum quoq; non omittit. at de primo ſæpenumero diſputat. Dierum criticorum cauſam occultam diſputando quærit lib. 3. de diebus Decretorijs. menſem non modo occultum, ſed qui ne vnquam alicui in mentem venerat, quem in quatuor criticas hebdomadas, & quaterniones octo diuidit, à ſe excogitatum nobis obtrudit. Cùm autem nihil ſit naturaliter ignotum, teſte Ariſtotele, & Auerroē, quis non diſputaret, ac ſummis viribus non conaretur occulta quæque in lucem proferre, illuſtrare, ac omnibus patefacere? Si nemo vnquam de occultis diſputaſſet, multa, quæ nunc nobis luce clariora ſunt, occulta adhuc in tenebris iacerent. Vt autem antea dictis adhibeatur fides, ſciāt omnes, me hæc omnia, quæ ſcripſi, à probatiſſimis medicis, & ab

alijs non vulgaris famæ, & doctrinæ viris priùs accepta, partim multis experimentis cum felici ſucceſſu comprobaſſe, partim comprobata ab alijs audiuiſſe. Ac præterea ſiquis hunc meum ſcribendi laborem ſuperuacaneum fuiſſe, liuido (vt aiunt) dente diceret: propterea quòd de ijſdem ab alijs grauioribus authoribus ſcriptum antea fuerit, huic ita reſponſum ſit; me aliquos quidem vidiſſe, qui huius animalis Hiſtoriam ſummis (vt aiunt,) digitis attigerunt. qui autem exactam, ac germanam Hiſtoriam tradiderit, ne vnum quidem. cuiuſlibet verò eſt, quod deeſt addere, inquit Ariſtoteles lib.1. Ethicorum. Sin in ſua pertinacia perſiſteret adhuc dicendo: hanc eandẽ ab alijs antea ſatis ſuperque pertractatam eſſe (quod tamen ego olfacere nõ potui) ſaltem hoc vnum oro, vt hæc à me fideliter ſcripta teſtimonij eſſe ducant loco pro confirmandis aliorum ſcriptis, quæ aliquando fide carent apud multos propter nouitatẽ rerũ, & locorũ diſtantiã, niſi aliquorũ, qui res ipſas viderint, acceſſerit authoritas.

FINIS PRIMAE PARTIS.

EIVSDEM AVTHORIS HISTORIA, SIVE TRA-*ctatus de Ceruo Rangifero.*

CAPVT I.

DE ſingularibus, ac memorabilibus Succorum Regni quibuſdam rebus verba facientes, genus illud Ceruorum, quos Rehen, ſiue Rangiferos vocant, ſilentio præterire non poſſumus. Rangiferi itaque cerui in Suecia tantùm, vt audiuimus, reperiuntur in intima parte Regni, ex quo fit, vt paucis noti ſint. Non.n. multi intimas illas, frigidiſſimasq́ue partes petunt. Nos verò, cùm inde deducuntur ad Regem, opportunam nacti occaſionem horum planè cognoſcendorum, hanc noſtram cognitionẽ ceteris omnibus patefaciendam eſſe duximus. ſunt igitur illi Cerui tam altitudine, quàm craſſitudine aſello pares: tibiarum gracilitate ſuperant. ca-

put habent instar vituli: Collum iubatum velut equus, vt Olai Magni verbis vtar. cornua frondosa, læuia, gracilia. oblonga, ad tergum porrecta: Cetera habita ratione, & seruata magnitudinis proportione ceruos communes imitantur. in lapidosis locis degunt. musco, qui in lapidum superficie, & arborum cortice innascitur, vescuntur. alijs herbis, & frondibus non vesci dicuntur: propterea rex rupem, & collem quendam sepe, ac veluti muro ex lignis constructo circundedit; Quò circiter triginta inclusit, & alit. in hyeme, quando niue omnia operta sunt illi abiecta niue lapides detegunt, vt inde, vel ex truncis arborum victum petant. Si qui habentur in stabulis, eodem musco recenter, aut antea collecto pascuntur. Olaus tamen Magnus inquit: cibus bestiæ est montanus muscus in hyeme; in æstate folijs, & frondibus arborum vescitur stando, eundoque melius, quàm se inclinando. Ceterùm non admodum sunt immites, & feri, quando in suis locis liberè degunt: quando autē aliquan-
diu

diu apud homines in vſu, ac veluti hoſpitio fuerũt, ferè cicures euadunt. extra Sueticam terram, & maxime vltra mare ſi deuehantur, non ſuperuiuunt. Hoc experientia compertum eſt. Nam cùm aliquando ex ipſis 20. nauigio ad principem Pruthenorum deuecti fuiſſent, breui temporis ſpacio vitam finiuerunt. Idem, Olaus quoque dicit, aſſerendo mortem illis accidere ob cœli, ſoliq́ue mutationẽ, aut inſolitam eſcam. Habita ratione magnitudinis ipſorum, multum roboris habent; multi ſunt laboris, ac velocitatis. Hoc Cardanus non ignorauit. inquit.n. Cicurant Rangiferos in Laponia captos.naſcuntur.n.ibi, & eſſedis iunguntur, ſuperantq; equorũ loco CL.millia paſſuũ in die. & Olaus, quẽ authorẽ libẽter ſequor in his, quæ mihi incerta ſunt, ait: Rangiferi de Ceruorũ genere, ſed proceriores, robuſtiores, velociores, quaſi iugales oneribus nõ exiguis milliaria Italica prope CC. (alibi CL. habet) cõficiũt, ac ſeſſorẽ admittũt. idẽ quoq; ait: Domeſtici aptantur currulib⁹ plauſtris, optimeq́;
grauiſ-

grauiſſima plauſtra per rura, campoſ-
que deducunt. In vſu ſunt tam apud Regem, & aulicos, quam apud plebẽ pro vehiculis (Slittas vocant) trahendis tempore hyemis per glaciem, & niues. mare quippe illud anguſtum, & lacus omnes gelu concreſcunt ita, vt ſex, aut ſeptem anni menſibus tutò quouis modo ſuperambulare, & currere poſſis. Vnde Ouidius cum in Ponto exularet, huius rei non ignarus, ita cecinit lib. 3. de Triſtibus.

Quaq; rates ierant, pedibus nunc itur, & vndas
Frigore concretas vngula pulſat equi.
Perq; nouos pontes ſubterlabentibus vndis
Ducunt Sarmatici barbara plauſtra boues.

Vnus itaque ceruus vehiculum trahens, pręcedit, qui per habenas ad cornua alligatas, & baculo ſiue flagello dirigitur, & compellitur. alter alligatus vehiculo, ita ſequitur alterum præeuntem: vt cùm hic vehiculum trahendo defeſſus fuerit, ille laborem ſubeat: & defeſſus vehiculo alligatus, ſequatur. alternatim itaque vehiculũ trahunt, & à labore ceſſant. laſſitudinis ipſi dant ſignum. ſiſtunt. n. gradum, &

linguam

linguam cum anhelitu proferunt defeſſi. ita tandem velociter incedunt, vt ſpacio 12. horarum æquinoctialium vltra centum millia paſſuum iter conficiant. Horum animalium multa, & numeroſa armenta ſolent habere ruſtici, non ſolùm percipiendi lactis cauſa, vt etiam affirmat Ceſar Scaliger, ſed etiam vt carnibus iſtorum veſcantur omnes. Quod autem ad medicam facultatem attinet, neminem audiui, qui cornibus, aut vnguibus, aut alteri corporis membro virtutem, aut facultatem aliquam aſſignauerit. Apud tamen vnum Olaum hæc legi: Carnes animalis optimæ, & ſalubres ſunt ſale, & vento ſiccatæ, vngulæ ſpaſmaticis proſunt. Pharmacopæi ipſi dicunt, ſe ruſticis vendere horũ ceruorum cornua pro alijs, qui in frequenti vſu ſunt apud omnes.

Quantum potuerit veritas apud authorem.

CAPVT II.

HAEC equidem ſatis ſuperque exiſtimaueram eſſe pro certa cognitio-

gnitione huius cerui Rangiferi. Sed quia Iulius Cæſar Scaliger multæ eruditionis, ac nominis vir, dum Cardani ſubtilitates ceu mendoſas expurgare contendit, & vigilantiſſimum Plinium ignauiæ accuſat, de hoc cerui genere quædam ſibi incerta pro certis affirmat, non abſurdum, neq; ab hoc tractatu alienum fore duxero, ſi, veritatis ſtabiliendæ cauſa, ac remoto omni ambitionis, & popularis auræ ſtudio, in quibus hic potius lapſus ſit, quam ille, patefecero. Ac licet inciderim in hæc tempora, quibus, ſi vnquam antea, veritas odium parit, multi reperiuntur homines; qui, vt aliquem, in cuius verba iurarunt, quoquo iure, quaque iniuria, tueantur, ac ſuſtineant, alios vel benè ſentientes, & ſimplices veritatis amicos, rabidis dentibus inuadunt, perterrefaciuntque, contradictionem minitando; vt conſiliũ mutẽ haud vllius minis deterreri poſſum. Ad hanc enim rẽ mihi tanquã aculei erant verba Platonis Epiſtolæ 7. Permultũ abeſt, inquit, vt vir ſtudioſus de ijs, quæ re vera digna ſunt ſtudio, ſcribens

bens hominibus se simul, & sua inuidiæ, ambiguitatique subijcere debeat. quare hæc mecũ ipse voluebã in animo: quantum, ego lucis attulero huic Rangiferi Historiæ, sordes expurgando tantũ illi tenebrarũ offundent cõtradicendo. Vnde, vt antea res, in tenebris iacebit, & adhuc sub iudice lis erit. & quando elucescet veritas, cùm res sit eiusmodi, vt inter litigantes nemo testimoniũ dicere, aut ius certum reddere possit? opus.n.esset aliquo æquo iudice, qui in rem præsentem, vt ita dicã, venisset, & optimè omnia lustrasset. Ego tamen veritatis causa, qua nihil est sanctius; nihil fortius, Scaligeri eruditissimi viri pace, intra modestię limites permanendo, rẽ animo iã conceptã aggrediar, atque id sine vlla formidine, admonitus quoq; Aristotelis verbis, & exẽplo; qui cùm Socratis, & Platonis Idæas esset oppugnaturus, inquit: Amici sunt, qui formas introduxerunt. Sed forsan rectius esse, & oportere videretur, vt pro veritatis salute vnusquisq; & præsertim philosophi sua quoq; propria refutarẽt. Nam

licet

licet amici ambo ſint, ſanctum eſt veritatem ipſis in honore anteponere.

Obſeruationes quædam ad hãc Hiſtoriam facientes ex ſubtilitatibus Iulij Cæſaris Scaligeri.

CAPVT III.

IVlius Cæſar Scaliger in ſuo libro, quem de ſubtilitate ad Cardanum inſcribit Exercitat. CCVIII. dum de hoc cerui genere verba facit, eo conſilio, vt Cardani ſcripta caſtiget, duos nominat Alces. vnum, quem C. Iulius Cæſar in Comment. de bello Gallico deſcribit; alterum, quem nos antea Rehen, & Rangiferum appellari diximus. Sed hunc non rectè. Nam apud Suecos, vbi tantùm reperitur hoc animal, nemo vnquam vocauit Alcem; neque apud aliquem, qui de hoc aliquid ſcripſerit, Alces nomine appellari hactenus legi. Cardanus de C. Cæſaris Alce tantùm meminit. Prutheni verò, & Lithuaui Medici, & ex recentioribus ſcriptoribus quidam multæ lectio-

lectionis, & eruditionis vir, præter Cęsaris Alcem, non hoc cerui genus aliū Alcem ducunt, ſed illud, quod Cardanus Magnum nuncupauit animal. Solus itaque Scaliger Alces nomine decorat hoc cerui genus. quod non rectè etiam Hellend vocat. Nam apud Pruthenos, Pomeranos, & omnes ferè Germanos hoc nomen Hellend miſeriam ſignificat: & propterea ipſi appoſitè hoc nomen Hellend indiderunt illi Magno animali: quòd ipſe Scaliger cum Plinio deſcribens vocat Biſontē, & ab alijs Elg, Suber, & Aurox nuncupari dicit. nec immerito hoc miſeriæ nomen inditum eſt illi: miſerrimum n. eſt animal propter eas cauſas, quas in ipſius Hiſtoria diximus. hoc verò nomen ceruo Rangifero conuenire, nulla ſubeſt ratio, quæ dictet. neque hactenus ſciui ab aliquo ſic appellari; cùm tamen ſummo ſtudio multos ibi ſim percunctatus de nominibus, ac conditionibus ipſius animalis, vt inde veram, ac Germanam Hiſtoriam exportarem, quam mihi iam diu ſcribēdam eſſe propoſueram. Hæc igitur no-

menclatura ſoli Scaligero accepta referatur. Is etiam non rectè ſenſit, dum ſcribit cornua Rangiferi, lanugine quadam eſſe obducta. ego. n. rem non ita ſe habere comperi. Nam non ſemper lanugine illa ſunt obducta, ſed tantiſper dum pullulant, & creſcunt. poſtquam autem ad congruam, & ſtatutam longitudinem, & craſſitiem excreuerunt, lanuginem illam, veluti corticem ſiccatam, quæ tenella cornua veſtiuit, alicubi fricando deponunt: idq́ue ſtatuto tempore, ſicuti in alijs ceruis obſeruatum eſt. quod maximè ipſis contingit menſe Aprilis, vt inquit Ariſtoteles; quando hircire, & in venerem ferri incipiunt. Neque neceſſitas eſt aliqua, quæ cogat cornua ipſa perpetuò lanugine tegi, ac veſtiri. Nam cùm natura, quæ omnia alicuius gratia facit, hanc ſenſu præditam, ac ſanguine imbutam dederit illis, vt ipſa tegendo foueret, fouendo augeret ad terminatam longitudinem, craſſitiem, ac duritiem; (quod certo tempore perficitur) ſuperuacanea eſt ipſa lanugo, poſtquam ſuum præſtitit officium,

um, quod tunc temporis ipſa obiuit, quando cornua metam illam attigerunt. Natura.n. vt inquit Auerroẽs, nõ ceſſat mouere rem, donec perueniat ad ſuam vltimam perfectionem; & tunc ceſſat. Non eſt igitur aliquid de aliquo ſimpliciter affirmãdum, quod non ſemper adeſt illi; quod ſi adeſſet, plerumque eſſet fruſtra: natura autem nihil agit fruſtra, nihil ſuperfluè. Si quis præterea conſiderauerit, cur natura huic animali, & alijs quibuſdam cornua dederit, non poterit, non fateri, ſi hac lanugine perpetuò tegantur, nullius prorſus eſſe vſus. Nam, vt ipſe in cicuribus ceruis animaduerti, & à venatoribus audiui: cerui non vtuntur cornuum ſeruitio, non ferunt aſperum tactum, non petunt homines: ſed fugiunt, quandiu cornua lanugine teguntur. nudis verò cornibus quomodo vtantur, & quo impetu irruant in obuios quoſque, multorum periculoſa, aut exitialis experientia, & exitus docet. Cùm inſuper ſcribat Scaliger, ceruos iſtos multum itineris conficere inoffen-

ſo tenore, non benè ſentire videtur. Non enim ita multum itineris conficiunt inceſſanter, ſed alterna requie, vt antea à nobis dictum eſt. Quare, quod duorum opere, & labore perficitur, vni attribuendum non eſt. Falsò quoque Cardanum accuſat; quia ſcripſit, hoc animal carnea promuſcide munitum eſſe. Nam Cardanus hanc promuſcidem non C. Cæſaris Alci, non alteri à ceruo Scaligero inuento, qui proprie Rangifer appellatur: ſed Magno animali attribuit. Ille verò hallucinatur dum intellexit, eam attributã eſſe Rangifero. Nec Plinius ignauia erat accuſandus; quod Alces poſito nomine nullum vel de natura vel de figura verbum feciſſe videatur. is.n. ſatis ad viuum Alces figuram expreſſiſſe videtur; cùm ſimilem dixit iumento animalium notiſſimo, ni proceritas aurium, & ceruicis diſtinguat. ſed mea ſententia dicendum potius erat, Plinio penitus ignotum fuiſſe Rangiferum animal, quàm Alces nomine vocatum. quandoquidẽ per Alcen hoc, quod Magnum dicimus animal, non

Rangi-

Rangiferum intellexisse videtur; vt ea testantur verba: iumento similem. quippe quòd non hoc, sed illud animal iumento simile est. At de Rangifero ne somniasse quidem videtur; cùm nusquam vel nominis, vel figuræ, vel naturæ meminerit vnquam. Hæc sunt, quæ ad hanc Historiam facientia obseruaui ex subtilitatibus celeberrimi viri. quæ omnes in bonam partem accipere debent; cùm hoc non ideo fecerim, vt illius dignitati, existimationique aliquid detraherem, sed veritatis tuendæ causa. Cur hoc facerem, cùm ego illi neque doctrina, neque eruditione sim comparandus? & plurimũ illi tribuat doctissimus quisque? At lapsus est, dicet aliquis. quid tum. homo erat, & omnium habere memoriam, in nulloq; peccare, potius diuinum est, quàm humanum.

(.·.)

FINIS.

HISTORIA, GVLONIS, *siue, Filfros animalis.*

INTER cetera animalia, quæ soli Sueciæ attribuuntur, est etiam illud, quod ipsorum Suecorum, ac etiam Germanorum lingua Filfros, id est multum vorans, nominatur: & à Cardano cognitum lib. 10. de subtilitate, describitur sub nomine Rosomachæ, seu Gulonis. Hoc ipsum an in Lithuania inueniatur, intelligere non potui; cùm multos diligenter sim percunctatus huius viri authoritate motus. Animal itaque hoc viuum non vidi, sed ipsius pellem pertractaui. quare quæ ipse vidi, & ab alijs ibi audiui, breuiter referam. Longitudine, & altitudine parum superat Vulpem, crassitudine multũ. cauda paulò breuior. subnigro est colore. pilorum longitudine, & densitate Vulpẽ ęquat, mollitie, & gracilitate superat. vnde fit, vt ipsius pellis mollis sit, tactui iucunda, & delectabili colore. propter quas conditiones, & paucam copiam

magno

magno pretio etiam apud Suecos vẽditur, & eſt in vſu apud principes, & primarios homines. Ferunt animal ipſum eſſe edaciſſimum, ac voraciſſimum: nullam.n.ferè comedendi intercapedinem facit. ex quo venter multũ intumeſcit: & quando nil aliud capere poteſt, neque illud, quod habet, citò egerere; ac inſuper ingerendi deſiderio ex ſua natura ſemper teneatur, egerendi hanc opportuuitatem, & modum quærit, vt iterum, ac ſæpius ad inexplebilem ſatietatem vſque ingerat. Quærit itaque duas arbores ita prope terram vicinas, vt capite præmiſſo venter tumidus per illas tranſire non poſſit. Vi igitur, & impetu facto in anguſtum illum tranſitum ſe conijcit, vt tranſeat. quod tandem aſſequitur, dum venter eius hinc inde preſſus, quod intus habet, in partes poſteriores propulſum excernit. Olaus autem Magnus cum hoc ipſum animal ſenſu fortaſſe oculorum cognitum eandem voracitatem recenſendo deſcribat, ab re non erit, ab eo quoque alia quædã huc plenioris doctrinæ cauſa tranſ-

ferre; quibus cum laude Dei Opt. Max. huic opuſculo coronidem imponemus. Magnitudinem itaque, & figurã animalis ita exprimit: Groſſities eius, vt magni canis; aures, & facies velut cati; pedes, & vngulæ aſperrimæ; corpus villoſum, & prolixorum pilorum ſubfuſcorum: cauda, vt vulpis licet breuior, ſed crinium denſiorum. Caro omnino inutilis. Sed pellis multum commoda, & pretioſa: Quibus quoq; inſidijs circumueniant animal, his explicat verbis: Venatores in ſiluam cadauer recens portant. quod dum animal comedit, ſagittis (hoc tempore paruis bombardis) conficiunt; vel in foueas, & cauernas cadauer reponunt, ibiq; animal conficiunt occupatum. Vngulas, & dentes adeo acutos habet, vt eius congreſſum formident canes, qui in ferociſſimos lupos vires ſuas extendere ſolent. Idem quoque hæc habet: Dormientibus ſub harum pellium tegumentis euenire ſolent ſomnia quaſi eius animalis vitæ, naturæq; conformia in inſatiabilitate deuorandi, & beſtijs inſidijs faciendis, & præcanendis.

nendis. His etiam pellibus induti bibendo, & comedendo nullum ſaturitatis veſtigium relinquunt. ex huius inteſtinis chordæ pro citharędis conficiũtur. vngulæ in modum circuli vertiginoſis capitibus, & tinnientibus auriculis appenſæ celeriter recuperandæ ſanitati proſunt. Sanguis aquæ calidæ admixtus venatoribus eſt pro potu, & melle conditus propinatur in nuptialibus triumphis. pinguedo putridis vlceribus illinita plurimum confert. Dentium vſus incantatoribus patrocinatur vngulæ recenter extractæ, & demonſtratæ canes, catoſq́ue fugant, vti aniculæ viſo vulture.



FINIS.

REMBERTI DODONAEI MEDICI CAESAREI,

De Alce ad Lectorem Epistola.



QVandoquidem Apollonius Menabenus feram luculenter deſcribens, magni animalis nomine, Sueciæ ac Septentrionis regionibus familiarem ac indigenam, Elend patria voce nuncupatam, de eius nomine apud veteres ambigere videtur; & Alcen eſſe, præſertim à Iulio Cæſare in Commētarijs de bello Gallico lib. VI. deſcriptam, Hieronymo Cardano neganti conſentit, operæprecium, ac non inutile, nec ſtudioſis veritatis ingratum, me facturum exiſtimaui, ſi quæ de Alce apud veteres nonnullos extant in medium adferrem, & omnibus cognoſcenda proponerem: vt ſic collatis cum animali Sueco horum deſcriptionibus, veritas magis eluceſcat. Sed prius quàm eò perueniamus, admonendus

nendus

nendus es mihi amice Lector: Veteres qui de Alce ſcripſerunt, non plenam perfectamque eius notitiam, ſed ex relatu tantummodò, quæ memoriæ prodiderunt, habuiſſe. Nullus etenim integrè eam deſcribit, ſed quædam ſolùm ex ipſius conditionibus ac proprijs adfert. De regione verò in qua gignantur plerique incerti quoque ſunt. Pauſanias ſiquidem feram Gallicam eſſe: Strabo in Alpibus hanc viuere ex Polybio refert: Cæſar verò in Hercynia ſylua naſci. Quæ tamen non in his locis, ſed in ijs reperitur, quæ amplius ad Septentrionem vergunt. Quemadmodum in gentium Septentrionalium Hiſtoria Olaus Magnus ſcribit, & veritas ſe habet. De Alcis autem forma Pauſanias quidem lib. V. nonnihil attingens, Maribus, ait, è ſupercilijs cornua prodire: feminæ verò nulla eſſe. Libro verò IX. de hac eadem latius ſcribens hæc habet: *Eſt etiam fera, quam Alcen dicunt, media quadam inter ceruum & camelum ſpecie: gignitur in terra Gallia: belluarum hanc vnam*

nequeunt homines aut inuestigare, aut præuidere: sed alias indagantibus feras, hanc non consultò, sed fortuitù nanciscuntur. Præsentit alioqui hominem olfactu, ex longo interuallo, ac statim in retrusos anfractus, & speluncas confugit. Venatores vbi campestres vel montanos saltus ad stadia fermè mille in orbem continēti indagine cinxerint, ita vt constanter omnes, quem quisque ceperit in eo ambitu locum obtineant, ad intimos eadem agminis forma recessus progressi, feras omnes in medio comprehendunt, & inter eas Alcen, quæ si fortè lustrum in ea quam obsederint regione non habuerit: nulla vtique reliqua est ad capiendum solertia. Strabo Geographiæ lib. IIII. quædam & de Alce ac alijs feris ex Polybio adducit. *Habent, ait, Alpes equos agrestes, & boues. vtq; memoriæ tradidit Polybius, peculiaris formæ belluam gignunt, habitu quidem ad cerui staturam, collo duntaxat excepto & villis, in quibus capro perquàm similis est, geritq; sub mento carnis globum ad palmæ magnitudinem capillosum, crassitudinem pro equini pulli cauda habentem.* Meminit verò & Alces Iulius Solinus in suo Polyhistore cap. XXIII. inter feras Septentrionis: *In omni, inquit, Septentrionali plaga Bisontes frequentissimi, qui bubis feris similes, setosi colla, iubas horridi, vltra tauros pernicitate vigentes, capti assuescere manu nesciunt. Sunt &*

Vri,

Vri, quos imperitum vulgus vocat Bubalos cùm Bubali penè ad ceruinam faciem in Africa procreentur. Istis porrò, quos Vros dicimus, taurina cornua in tantum modum protenduntur, vt dempta, ob insignem capacitatem, inter regias mensas potuum gerula fiant. Est & Alces mulis comparanda, adeò propenso labro superiore: vt nisi recedens in posteriora vestigia pasci non queat. Scandinauia insula à regione Germaniæ mittit animal, quale Alces, sed cui suffragines, vt elephantis, flecti nequeunt: propterea non cubat, cùm dormiendum est. tamen somnolentum arbor sustinet quæ ad propè casuram secatur: vt fera, dum assuetis fulcimentis innititur, faciat ruinam. ita capitur: alioqui difficile est eam manu capi, nam in illo rigore poplitum incomprehensibili fuga pollet. De his verò & Plinius lib. VIII. cap. XV. ferè ad verbum, sed ordine dictionis in nonnullis permutato: Nam quod Solinus de labro Alcis propendente habet, id Plinius feræ sibi Machli appellatæ, non rectè ascripsit; vt & in marginibus nonnullorum Plinij exemplariorum rectè & diligenter annotatum. Plinij autem verba sic habent. *Paucissima Scythia gignit, inopia fruticum: pauca contermina illi Germania insignia tamen boum ferorum genera, iubatos bisontes ex-*

cellenti-

cellentique & vi & velocitate vros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cùm id gignat Africa, vituli potius ceruiue quadam similitudine. Septentrio fert & equorum greges ferorum. sicut asinorum Asia & Africa: prætereа Alcem, ni proceritas aurium & ceruicis distinguat iumento similem. Item notam in Scandinauia insula, nec vnquam visam in hoc orbe, multis tamen narratam, Machlin, haud dissimilem illi, sed nullo suffraginum flexu: ideoque non cubantem, sed accliuem arbori in somno, eaque incisa ad insidias, capi, aliàs velocitatis memoratæ. Labrum ei superius prægrande: ob id retrograditur in pascendo, ne in priora tendens inuoluatur. Hactenus Plinius: qui si hæc ex Solini Polyhistore non transcripserit, ex aliquo alio habuit, vnde & sua Solinus deprompsit, qui paulò ante Plinium, vel eodem tempore vixisse existimatur. Transposita autem ea verba in Plinio, quæ antè admonuimus, ex ipsius Solini verbis & dictione patet. Cuius exemplaribus maior habenda videtur fides, non modò, quòd auctor diligentior habeatur, sed & quòd & hæc ipsa minus vitiata ad posteritatem peruenerint, quàm Pliniana, varijs locis sæpè corrupta aut mutila.

Sed


Sed ad Alcen redeamus. De qua quæ hactenus ex veteribus in medium attulimus, ita magno animali Sueco conueniunt, vt in nullo repugnent, & sic quidem vt veterum veram Alcen esse negandum non videatur. Menabenus cornua adesse mari scribit, feminæ verò nulla. quod & de Alce Pausanias. Labrum illi tam magnum esse affirmat, vt in pascendo impedimento sit futurum, nisi animal retrogrediatur. Solinus & Plinius de Alce simile referunt. Pili magno animali Sueco maxima prolixitate propendent, Strabo Alcen animal esse habitu ad cerui staturam, collo duntaxat & villis exceptis, in quibus capro perquàm similis. Addit verò Strabo Alcen sub mento gerere carnis globum ad palmæ magnitudinem capillosum: hoc quidem Menabenus nõ refert, sed Gesnerus in animalium quadrupedum Historia, Alcis imaginem cum globoso quodã sub mento dependente exhibet. Iam & Alcen hoc magnum animal Elend

dictum

dictum Succiæ ac Septentrionalium illarum regionum Medici Alcen Latinè nominant. Olaus Magnus in gentium Septentrionalium Historia Alcen quoque appellat. Atque hæc quidem hactenus omnia magnum illud animal Suecum, Elend dictum, Alcen veram & legittimam esse comprobant. Sed repugnat Hieronymus Cardanus; Alce etenim fera, quam Iulius Cæsar descripsit, differens est ab hoc magno animali Sueco, vt ex ipsius descriptione manifestò apparet: rectè quidem idcircò Cardanus sentit, nam Alce Cæsaris non est magnum illud animal quod Elend dicitur, sed omninò alia fera, & illa quidem, quam absque nomine Solinus ex Scandinauia insula mitti ait, cuique suffragines flecti nequeunt, quæ Plinio Machlis dicta est, vt ex ipsius Cæsaris verbis, si cum Plinij ac Solini conferantur, mox apparebit: quæ sic habent. *Sunt item* (in Hercynia videlicet sylua) *quæ appellantur Alces. harum est consimilis capris figura, & varietas pellium, sed magnitudine paulò antecedunt: mutilæq; sunt cornibus, & crura sine nodis, articulisq;*

culisque habent, neque quietis causa procumbunt: neque, si quo afflictæ casu conciderunt, erigere sese aut subleuare possunt. his sunt arbores pro cubilibus, ad eas se applicant, atque ita paulum modo reclinatæ, quietem capiunt: quarum ex vestigiys cum est animaduersum à venatoribus, quo se recipere consueuerint, omnes eo loco, aut radicibus subruunt, aut abscindunt arbores tantum, vt summa species earum stantium relinquatur. huc cũ se cõsuetudine reclinauerint, infirmas arbores pondere affligunt, atque vnà ipsæ concidunt. Ex his autem vel luce clarius apparet, Cæsarem non Alcen, sed Machlin ostendisse, & non rectè Alcis nomen huic tribuisse, vt & Scaliger testatur. Proinde & Cardanus magnum illud animal Suecum Cæsaris Alcen esse rectè negauit: Sed tamen Machlin esse non rectè idcircò consequitur. Magno animali suffragines flectuntur, absque flexu Machlis has habet. Neq; aduersatur nobis quòd labrum superius prægrande Machli Plinius tribuat, veluti magno est animali: Nã superius ostendimus hæc verba transposita esse, & ad Alcen refererenda, veluti Solinus habet. Magnum igitur animal Suecum, Elend dictum, non

Iulij Cæſaris Alce, nec Plinij Machlis eſt, ſed aliorum veterum Alce. Appellat verò & hanc Olaus Magnus Onagrum, ſed Onager ſylueſtris eſt aſinus, ſolidos habens vngues & cornibus carens: Alce autem biſulcum eſt animal, & mas cornua habet. quamobrem rectè Onager dici non poteſt. Et hæc quidem de Alce nobis dicta & ſcripta breuiter ſint, quæ ſperamus, non modò reliquis lectoribus, ſed & Apollonio Menabeno non iniucunda nec ingrata futura, cùm ad ipſius magni animalis deſcriptionem non parum faciant, ac lucis & veritatis conferant. Vale, Colonię Calendis Maij.



TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI, S.

Studiosis omnibus cupientes gratificari modis, & restantibus aliquot paginis ociosis, hic adijcienda existimauimus, quæ in Gentium Septentrionalium Historia Olai Magni de Alce reperiuntur, desumpta ex Lib. XVIII. cap. I: II. III. quæ sic habent:

De Alcibus, seu Onagris, & siti eorum.

CAPVT I.

PRæmissis animalibus domesticis, humano vsui familiarius inseruientibus, ac etiam syluestribus, in simili effectu idem facientibus: cum eisdem solitudinem deinceps alias feras oportebit adducere, atque in primis Alcem, vsitatiori modo syluestrem onagrum apud omnes Aquilonares interpretes appellatum: de cuius natura, magnitudine, vsu, ac proprietate, cum nō exigua altercatio sit inter scriptores naturales, prout Irenicus Ger-

manicarum rerum diligens Hiſtoricus & ſcriptor, lib.7 cap.14. monſtrat: honeſtum æſtimabitur, vt opinionibus auditis, vagabundo alioquin animali certa tribuatur origo propaginis, vt ſit in Aquilone, vnde tot millia eius generis pellium magnis nauigijs exportantur vltra mare. Cæſar libro 6. vt capras eſſe putat. Plinius lib.8. cap.15. iumēto, aut alij animali comparauit: ceruicis tamen, & aurium proceritate diſtingui à iumento. Has tamē in Hercinia Cæſar ponit, Solinus in Germania, Hermolaus Barbarus in Gallia Tranſalpina: & medium tenere inter cerui, & cameli magnitudinem, ait. Multa Iulius Capitolinus, & Pauſanias. Hermolaus Alces inuentu raras eſſe ſcribit, quòd & Plinius nunquam in hoc orbe viſas putat. Ad vltimum tamen eas in Scandinauia (id eſt extremis regionibus Aquilonis) ponit, atq; ſomno arbore deciſa capi. Solinus pro penſo labro ipſas ſcribit, vt niſi in poſteriora recederent, ali non poſſent. Hermolaus olfactu è longinquo venatorem eas ſentire æſtimat. Zachari-

as

as Lilius varijs pellibus eas formauit, & magnitudine capras antecellere, crura earum ſine nodis rigere, vt cum ceciderint, eleuari non poſſint. Recẽtiores autem conformius ſentiunt, vt Alces ſint ab Aquilone, tanquam loco originis, multiplici ratione prodeuntes, vbi vulgariter Elg, aut Elgar appellantur. Pulli autem venatorum induſtria capti, ita ſucceſſiuè manſueſcunt, vt naturali vrgente ſiti, epotent maxima ceruiſiæ vaſa, à diſcumbentibus eiſdem propinata. Qua autem lege id fieri ſoleat, reſpondeant ipſi inſatiabiles potatores.

De Alcium medicinis dextri pedis, & captura earum.

CAPVT II.

VNgula exterior dexteri lateris, pedis poſterioris, onagri maſculi, qui non genuit, abſciſa à viuo pede ſecuri, vel alio inſtrumento auulſa poſt mediũ Auguſti, ſpaſmum, aut morbum caducum patienti adhibita, continuò ſanat. Simile ſcribitur de pelle hippopotami, quòd è ſiniſtra parte frontis inguini alligata, venerem inhibet. Alces igitur inſtar ceruorum gregatim in vaſta ſoli-

tudine vagantur, insidijsque extensorum telorum, industria venatorum sæpissimè capiuntur, vel maximorum canum insultu retruduntur in antra rupium, vt inde rarò viuæ euadant: imò quiescentes humi, vel erecti stantes onagri maximi, à minima quandoq; mustela guttur insiliente mordentur, vt sanguine decurrente, illicò deficiant morituri. Adeò insatiabilis est hæc bestiola in cruore sugendo, vt vix similem suæ quantitatis habeat in omnibus creaturis. Hacq; bestia cannis imposita, chordaq; directa, quidam prędantur nidos hirundiuum, columbarum, & gallinarum, vt earum extrahant pullos: quibus mirè insidiatur, hoc solo instinctu, vt sanguinem sugat, quasi ventrem haberet elephante maiorem. Sic & Plinio autore lib. 8. cap. 25. icheneumon per fauces, vt telum aliquod, illabitur in os crocodili, eiusque erodit aluum. Sic & erinacius vrsum, & minimus serpens interemptorem, imò & ipsi Delphini cultellato dorso Nilum ingredientes, suum hostem interimunt crocodilum: vbi alioquin impares viribus essent extra amnem. Callent enim in hoc cuncta animalia, sciuntq, non modò sua cõmoda, verũ & hostiũ aduersa: nôrunt sua tela, nôrunt occasiones, partesq; dissidentiũ imbelleis. In ventre mollis, tenuisq; cutis est Crocodilo: ideò

se


se vt territi immergūt Delphini, subeuntesq; aluum, illam secant spina. Nec solæ bestiæ aduersantur crocodilo, sed & gens Tentyricarum ferox, & pusilla: quæ (vt suprà capite 20 lib. præcedenti dictum est) minaci vultu, & manu audet inire conflictum cum crocodilis: qui timidos fugant, & audacibus minimè resistunt.

De pugna Alcium, seu Onagrorum contra lupos.

CAPVT III.

SED nec sufficit commodo, atque vtili animali homines sustinere venatores telis asperis, sagittisque latis, millenis insidijs sese in vasta solitudine impetentes: imò & bestiolas contemptibiles, mustelas scilicet præmissas, respectu tam proceræ altitudinis suæ: nisi & ferocissimos lupos, montanos præsertim, sufferat insidiatores: eo videlicet modo, vt cum asperrimæ hyemes sint, densæque niues, ipsi lupi fame pressi, heremi latebras vasto agmine circumeuntes, expostulent prædam: lacubusq; congelatis onagros inesse speculantur: in quos irruentes, & vngulis, & cornibus vel interimuntur, vel effugantur. Tanta enim vis est in ictu vngulæ, vt illicò tactum lupum interimat, aut fodiat: quod sæpius in canibus robustissimis vena-

tores experiuntur: imò elabente cane, opposita arbor illiditur, quasi fungus adesset. Onagri naturæ instinctu, vt proximo superiore cap. monstratum est, norunt apta certamini loca, scilicet in lubrica glacie, in qua macronatis vngulis sunt solidiores, vbi lupi quasi in vaginis vngulas retinent viribus vacuatas: atque ita in conflictu manentes, non procul absunt venatores, qui fatigatam partem prælio excedentem, ad interitum vsq; subsequi solent, alieno periculo prædas opulentiores conquisituri. Fit enim atrox certamen, vt pauci onagrorum, at multi luporum lacerati linquantur: quos ob pellium valorem venatores acceptant, atque interim onagri, seu Alces, in tuta recedunt. Lupi procul dubio super congelatum niuium cacumen, tanquam leuius insultantes, exciperēt victoriam, vbi Alces graui pondere niuibus immersæ lupis fierent esca. Ita prouidens natura (vt supradictum est) vnicuique animanti idoneum campum pro sui defensione distribuisse videtur.




FINIS.

